DISSERTATIO MEDICA
DE
OBESITATE EXSUPERANTE

Quam

DIVINI NUMINIS CLEMENTIA

nec non

GRATIOSÆ FACULTATIS MEDICÆ IN ILLUSTRI SALANA VIGENTIS PRÆSCITU AC INDULTU

publicæ atque placidæ eruditorum disqviſitioni

ſub

PRÆSIDIO

IACOBI Wolff / Phil: & Med: Doct: atque Academici Curioſi

ſiſtit

CAROL CHRISTIAN: Leißner / Plaviâ-Variſcus,

d. 24. Februarii horis locoque conſvetis.

JENÆ,
TYPIS GOLLNERIANIS, ANNO 1683.

I. N. S. S. T.

Procemium.

QVia in plurimis conditionibus affectus nostri considerandi, scilicet obesitatis, nihil vituperabile deprehenditur, frustranea ferè nostra opera & solicitudo medica videtur circa contemplationem illius occupata. Ratione initii qvippe vel principiorum culpari neutiqvam merentur cibi boni & nutritioni inservientes; porrò bona digestio vel coctio ventriculi naturæ bonitatem sibi vendicat nec taxanda est; deniqve productum ex dictis principiis non infelix vel culpandum est: namqve nutritionis vel sangvificationis effectus legitimus est plena & legitima partium constitutio atqve pingvedo, qvæ naturalem constitutionem non excedens, reatu qvoqve non facilè laborat. Flos ille nutritionis, scilicet pingvedo, decumanam laudem in sacris non solùm, sed etiam in profanis literis passim sortitur: sic in sacris admodum freqvens est pingvedinis vel pingvis tropica significatio, dum pro bono, felici, læto, fertili, vegeto, diviti, abundante, benedicto, grato, amœno, florido, perfecto, sano atqve integro rerum creatarum statu accipitur vel ponitur, de qvo *Matth. Flacius in Clav. scriptur. sacr. sub voce pingvis, p. m. 916.* De simili interpretatione vocis pingvedinis & pingvis agit etiam *Sal: in Glassius Rhetor. Sacr. tr.* 1. *c.* 11. *p. 315.* ubi etiam addit autor hæc: Sicuti obesitas & pingvedo refractaria facit animalia: ita potentia rebelles & impios, ut occallescant & obturentur. Pingvedo non solùm refractaria facit animalia, sed & sensus est expers. Sic etiam gladius impingvatus adipe occisorum dicitur pro saturata ultione. Conferatur etiam de varia ejusmodi significatione pingvedinis, qvam *de voce* בריא *exponit Gottofr. Wegnerus*

gnerus in Specimine Hierolexici in vetus testamentum Hebræo Chaldæo p. 1. *&c.* בְּרִיא Rabbinis pingvem, item ſanum denotat, qvod pingves plerumqve ſe benè habeant, & illi optime valere credantur. Sic בְּרִיאוּת iisdem dicitur ſanitas, qvandoqve pingvedo.

Præterea Deus pro ſacrificiis renuens macilenta pingvia poſcit bruta; Imò qvod majus eſt, etiam caudas animantium pingves Alja dictas, nec ita Zanab, minùs pingves recipi juſſit Deus pro facrificiis, veluti ad loca qvædam veteris fœderis commentatur lingvarum orientalium peritiâ inſignis *Jobus Ludolphus in histor. Æthiop. l.* 1. *c.* 10. §. 14. Non rarò è contrariò maledictionis, exſecrationis, perniciei, incantationis & interitus notam præbet macies. Sic ſuperſtitionis ritus etiamnum hodie inter plebejos obtinet. ſi ſermo vel laus occurrit de brutis, imprimis eorum pullis pingvibus & placitis, item de lætè virente ſegete, vel vegeto vegetabilium ſtatu, addunt communiter: ut præfiſcini, vel citra invidiam aut incantationem id pronuntiem vel laudem; Germanica verba nota ſunt: Gott behüte es/ daß ichs nicht beſchreie oder beruffe/ daß ichs zur guten Stunde rede; Traditio enim ſuperſtitioſa eſt, qvod pingvia ejusmodi, & tenella imprimis facilè laude prolatâ ſine ejusmodi voto, tabeſcere poſſint, de qvo in diſſertatione noſtra alioqve in loco proximè plura dabimus. Inter Germanos vulgo admodum familiaris etiam eſt indignationis vel contemtus ſeqvens nota, qvando rem vilem, ingratam & rejiculam exprimere intendit, ut hanc reddat vel appellet das dürre Ding. Maciem qvoqve Deus non ſemel in ſacris afflictionis vel pœnæ loco minatur, qvæ omnia pingvedinis æſtimium amplificant. Reputarunt itidem olim pingvem corporis habitum inter pulchritudinis notas; veluti etiam macilentas virgines à Romanis ſpretas fuiſſe oſtendit *Gvevarra in horolog. princip. cap.* 12. *ſſ.* 38. Propter ſimile æſtimium obeſarum virginum (non ubivis tamen tanti exiſtimatarum) huc trahemus verba *Petr. Foreſt. lib.* 13. *obſ.* 11. *p.* 62. Puellæ, ait, apud venetos cum matrimonio copulandæ ſunt, lautè admodum tractantur, ut habiliores fiant; utuntur triticô nutritô cum lacte:

longiùs in diem dormiunt, valde otiosæ extra aërem vivunt, ut tandem caponum instar pingvescant: ideò & unctuosis ac dulcibus vescuntur cibis, ut ita magis delicatulæ ac venustæ suis sponsis dedicari possint. Hactenus *Forestus* de hostiis virgineis Cupidini, Veneri atqve Lucinæ offerendis. Etiamsi laudem aliqvam meretur & commoda qvæpiam confert corpori pingvitudo, de hac tamen non iniqvè dici etiam illud potest:

Qvævis commoditas sua fert incommoda secum.

Sic cum appendice suspecta pronuntiat obesitatem de se ipso *Horatius* (*ad Tibull. l.* 1. *Epist.* 4. *v.* 15. *&* 16.) qvi Romæ natus ibi studiis primò navavit operam, postea profectus Athenas atqve ibidem inter Epicureorum Sectam se recepit, ita canens:

Me pingvem & nitidum benè curatâ cute vises,
Cum ridere voles Epicuri de grege porcum.

Dehinc interdum inter corpulentum & porculentum exigua intercedit differentia, sicuti per metathesin altera vox ex altera facilè exsurgit.

Gordii eqvidem magni etiam fecerunt obesos vel corpulentos, hinc non nisi similem Regem elegerunt, veluti innotescit ex *Erasmi adagiis*; aliis autem nationibus non ita benè audire obesos historiæ docent. Respiciunt qvoqve seqventes versus laudem, qvam qvidam olim posuerunt in pingvi habitu, apud *Bernardum Geystensem in Palponista a Daumio edit.* I. *v.* 240.

Mox etiam pingvi da laudes ore bilingvi
Qvod sit carne gravis facies, natura svavis,
Et qvod onustate tumet, evenit ex probitate.
Formas emendat pingvedo bonam faciem dat;
Magnum majorem facit & venerabiliorem.

Laus obesitatis autem facilè disparet, si pericula trutinamus, qvibus eadem exposita est, & à nobis in subseqventibus traduntur. Nimia qvoqve crassities corporis non solùm deformitatem, sed & dubiam sanitatem atqve vitam conciliat. *Joh. Stephanus in Cosmetice sua qvæ adhæret Prævotii operibus p.* 459. inter alios affectus corpus deformantes recenset etiam obesitatem eiqve apprimè utile scribit acetum scylliticum jejunô sto-

ſtomachô qvotidiè devorandum. Ex vaſtis ejusmodi pingvedine diſtentis corporibus, æqvè vitæ inſidiantes morbi prodire poſſunt, ac ex eqvo Trojano hoſtes latentes olim prorepſerunt. Superſedeo vituperia varia hoc loco recenſere, qvæ aliàs de obeſis, craſſis & pingvibus traduntur, qvod ſcilicet corporis moles obſit animi alacritati, nec multum ingenioſi ab iis expectandum ſit: vel ſaltem ſuſpicionem hanc de iis trita opinio & proverbia evulgant. Dixerim pene de iis, qvi nimium curæ corpus pingvefaciendi intenti ſunt, qvòd pariter ac turdi ſibi ipſis malum cacent: videlicet dum hi viſci ſemen deglutitum & alvo redditum aliis arboribus imponunt, inde novum viſcum capiendis avibus aptum progerminat. Sic *Pythagoras* cùm offenderet aliqvando qvempiam inſigniter obeſum allocutus eſt ipſum ita: non deſines tibi moleſtiorem carcerem *ſtruere*, de qvo *Eraſmus l. 8. Apophtegmat.* Ergaſtuli inſtar eſſe corpus iſtiusmodi, in qvo anima tanqvam mancipium detineatur, nec liberè ſuas actiones exercere valeat, judicavit ac pronuntiavit etiam de athletæ cujuspiam corpore *Crater Thebanus, teſte Maximô Monachô in ſermone 27.* Dicta hæc pericula Germani qvadantenus exprimunt, qvando de obeſorum morte inopinata ſermo eſt, dicentes: Er iſt in ſeinem eigenen Fette erſticket. Licet itaqve athleticus corporis ſtatus & ſanitas videatur qvibusdam conceſſa, attamen *Hippocratis* 1. *Aph.* 3. & experientiæ non ſimplicis teſtimoniô multis malis obeſi obnoxii ſunt. Idem de athletico illo habitu dicendum eſt, ac de pugna aliàs dicitur: qvod finis non pugna coronet. Sic qvo major eſt obeſitas eo majus ac citius etiam malum metuendum eſt: ſummis enim ſtare diu negatum eſt. Commiſeratione dignus obeſorum ſtatus inter alia patet ex eo, qvòd iidem eqvulii aliorumqve tormentorum, aliis delinqventibus ſufferendorum, immunes pronuntientur in jure, de qvo *Fort: Fidelis in relat. Med. l. 2. c. 3. p. m.* 231. *&c.* Autor ibidem *p.* 232. ita inter alia de obeſis loqvitur: revera nihil usqvam eſt mali, cui illi objecti non ſunt, qvi corpore nimis ſunt obœſo. Etiamſi obeſitas non ſemper ad ſummum faſtigium evecta eſt morbumqve evidentem & actionum variarum læſionem ſenſibilem ex-

citat;

citat; venienti tamen malo qvoqve profpicere tenentur Medici & curam gerere neutrorum affectuum, qvibus non inepte annumerant qvidam obefitatem. Cum qvoqve præfervatione aliàs opus fit, fi morbos metuimus, aut adfunt neutri affectus, ne malo ingruenti majori moram concedamus, qvò iftud vires fumere five radices agere valeat; ideoqve etiam in obefitate adolefcente vires medicæ tentandæ funt, qvia eadem aliàs confummata non unô flatu vel levi ope difflatur, fed illius curatio moram expofcit. Verùm rumpo præloqvium hoc cùm ipfa differtatio plura contineat, qvæ obefitatem confideratione & attentione Medici indigere indigitabunt.

CAPUT I.

De nominis confideratione.

QVòd obefi vocem propriè magis, qnàm ufitatè pro exili atque gracilento olim dixerint, & ἀκύρως ἢ κατ' ἀντίφρασιν pro pingvi atque haberi ponunt hodie, conftat ex *Aul. Gellii noct. Attic. l. 19. c. 7. Laur. Vallæ poft Elegantiar. libros, in errorum Anton. Raudenfis annotat. p. m. 604.* aliisque ex autoribus pluribus. Quoad primum valorem volunt quidam obefum æquivalere exefo, circumrofo, & macilento; quibus verò obefus valet idem atque craffus ac πίων, quafi ob edendum factus dicitur, veluti ex *Ambr. Calepini* aliorumque autorum lexicis & locis colligere eft. Pro pingvi autem vocem obefi ufurpare etiam prifcos bonæque Latinitatis autores, in propatulo eft. Ab edendo omninò defcendere videtur vocabulum obefi, ut paulò ante innuimus, hinc *e* fimplici fcribunt plurimi obefum; qua licentiâ verò *Fortunat: Fidelis l. 4.* atque plures per *æ obæfum* & *Hier. Mercurialis de decoratione c. 6. p. 16. &c.* per *œ obœfum* fcribant, non hariolor; nifi literam *e* longam hac ratione exprimere velint: veluti in vocibus quibusdam nonnulli licentiâ ejusmodi fcribendi utuntur. Ab obefi verò voce obefitatem, (quæ abundantem corporis pingvedinem denotat) defcendere, fimilia alia vocabula nobis penè perfvadent. Sic à fuis adjectivis oriuntur: fævitas, folitas, divitas, pufillitas, amaritas,

ritas, alienitas, duritas, jejunitas, lascivitas, succitas, obscuritas, obscænitas &c. veluti de vocibus ejusmodi in autoribus occurrentibus commentatur circa vocem, sospitatis examinatam *Joh. Henr. Meibomius de Magni Aurel. Cassiodori formula comitis Archiatror. p. 40. nota 19.* Utitur autem *Obesitatis* nomine *Columella*, *Svetonius*, *Plinius* aliique plures. In sequentibus exponetur quòd obesorum atque pingvium dotes & actiones animi non semper laudem nanciscantur in autoribus: sic tropicè etiā *obesæ naris homo* ponitur pro eo, qui stupidi est ingenii & exilioris judicii, ut nihil intelligat aut persentiscat. Sic apud Græcos πάχης obesum aut corpulentum denotat; vel παχὺς fatuus idem ac ἀνόητος est, & τὸ πάχος crassitudinem ac ruditatem, παχύνοος stupidâ mente vel ingeniô præditum & παχύδερμος cute crassâ atque pingvi circumdatum, uti & rudem, rusticum ac fatuum significat. Bœoti vel Bœoticum ingenium similiter stupidum & crassum connotat, sicuti Bœotia insimul crassos & obesos homines ac bruta aliàs alere dicitur. Rationes sequentes autem illius metaphoræ, de nare obesa, arbitratur esse *Joh. Nicol. Wernerus in corpusc. philolog. p.* 213. *&c.* (1.) quod pingvedo sensu careat, hinc pingve ingenium pro stolido reputatur, de quo paulò ante dictum & citatus *Wernerus* agit *l.* a. *p. 219.* uti & ad *Persii Satyr. 1. v. 57. Lubinus in commentario p. 643.* (2.) quòd pingvis humor pro quacunque crassa materia, muco vel blenna nares obstruente & olfactum cohibente sumatur, hinc blenni idem valent ac stolidi; ex adverso verò naris emunctæ homo æquivalet limato, polito seu recto judicio, de quo *l. c. p. 213. & 215* Freqventer etiam aliàs olfactus vel verbum subolere accipitur pro sagacitate prudentia & præsensione futurarum rerum, uti ex eodem autore constat *p. 212.* Ad normam hanc Germanis etiam ejusmodi formulæ loqvendi usitatæ sunt v. g. Er hat eine dicke oder dünne Nase/ er riechets oder hat den Schnupfen. Dicta hactenus explicat etiam illud adagium, qvô pingvi vel crassâ minervâ seu Μοῦσα παχυτέρα, pro minùs solerter, subtiliter, & eruditè, sed obiter, oscitanter aut ruditer tractata, corrasa aut effusa re accipitur & pronuntiatur; de cujus adagii expositione Philologus ille non vulgaris, jam beatus & noster

ſter deſideratus *Georg. Crauſſerus in ſcintill. Tullian. p.* 156.

Nobis verò hoc loco non eſt res cum quovis corporis integri tumore vel habitu exſuperante, cujusmodi ſpecies variæ varias cauſas agnoſcentes in pathologia occurrunt, & ſua peculiaria nomina ſortiuntur, nec non curationes diſtinctas requirunt. Ideoque καχεξία ſeu malus corporis habitus tumens, hydrops,& à veneno aliisque cauſis oriundus univerſi corporis tumor non ad obeſitatem pertinet. Sic in Hypochondriaco affectu adeſſe obeſitatem nonnunquam veram, non nunquam apparentem, ob ſeroſitatem & flatuum, quibus corpus turget, copiam, indicat magnus noſter inter vivos olim, nec jam infimus inter beatos *Guern. Rolfincius in Epitom. method. Cognoſc. & cur. part: affect. l. 3. c.* 11. *p,* 247.

Deinde diſtinguunt & ſeparant quidam obeſitatem à corpulentia, quod hæc carnoſum, illa verò pingvem corporis habitum denotet; alii tamen non ſemper adeò accurate hanc differentiam attendunt, aut rarò à ſe invicem ſtatum hunc ſeparatum ducunt atque dicunt, de quo plura in ſequentibus trademus, & ſi placet videri poteſt *Sennertus prax. Med: l. 5. part. 1. c. 4. p. 22.* A nobis autem hoc loco obeſitas accipitur uti communiter ea in ſcholis Medicorum accipi ſolet, & denotat pingvem & bonum corporis habitum, εὔσαρκον à quibusdam dictum, qui etiam ab Hippocrate εὐεξία dicitur; ſed inſimul habitus iſte συμμετρίαν corporis, vel reliquarum partium ordinariam ſuperat, atque ſic actu, vel potentia facilè lædit corporis actiones, aut majora mala minatur, de quibus ſubſequenti plura detegent.

Sunt equidem nonnulli, qui ſtrictiùs obeſitatem pro ſummo pinguedinis ſtatu, adeoque morboſo reputant, & bonum habitum vel habitudinem pro ſano & integro ſtatu, utpote qui medium teneat inter gracilem & obeſum, veluti ex mente *Galeni* ſe loqui dicit *Paul. Zachias in qvæſtion. Med. legal. tom. 1. l: 5. tit. 2. qvæſt.* 12 *p.* 399. Verùm communi valore denotat obeſitas pingvem corporis habitum, qvô gradu tandem reqvieſcat eadem; qvamvis interdum illi addatur epitheton nimii vel exſuperantis, veluti nobis etiam placuit exprimere affectum, qvem noſtræ jam conſiderationis eſſe voluimus. Non

malè etiam alicubi apud *Galenum* ejusmodi habitus vocatur ὑπερβάλλεσα ἐυσαρκία.

Dehinc obeſitas varia Synonyma habet qvibus eadem denotatur; brevi abhinc de corpulentia diximus qvod ſæpe pro obeſitate ponatur, de quo omnino multiplex autorum teſtimonium ſuppetit *Melch. Sebizius & Gosky in diſput. Medica de maraſmo ſive marcore &c.* §. *180.* ita hanc in rem loqvuntur: Craſſum & corpulentum corpus genus qvoddam eſſe videtur carnoſi atqve obeſi, utrumqve enim craſſum corpulentumqve dicitur. Sed tale vocatur, præcipue ratione pingvedinis & carnis; qvia craſſum & corpulentum eſſe poteſt etiam ratione oſſium & viſcerum, qvando ſunt grandiora. Sic corpulentiam & obeſitatem idem ſignificare etiam aſſerit *Gabr. Fallopius in operum tom. 2. tr. 10. cap. 3. p.* 328. Idem autor *p.* 329. gemino illi modo tertium addit, qvando ex utroqve fit craſſum corpus noſtrum. Plurimi, pergit, fiunt obeſi ratione pingvedinis, rari carnis ratione, freqventiſſimi ratione utriusqve. *Hier. Mercurialis de decorat. c. 6 p. 17.* indicat, qvod παχύτης vel πιότης Latinis dicatur modò corpulentia modò obœſitas modò pingvedo. Imò diſputationes qvæ de corpulentia conſcriptæ proſtant promiſcuè & ſæpe plus de *corpulentia adipoſa, qvàm carnoſa* agunt, veluti non ineptè geminam hanc corpulentiam reddere videtur *Joh. Jeſſenius in inſtitut. chirurg. ſect. 3. c. 22. p. 93. β.* Non infreqvens etiam in autoribus eſt valor vocis *corporis* pro magna, vaſta, craſſa aut pingvi corporis ſtatura & conſtitutione, de qvo *Joh. Nic. Wernerus in corpuſcul. philol. p. 210. &c.* Germani itidem efferunt corporis iſtiusmodi conſtitutionem: das Thier iſt fleiſchig/ leibig/ bey Leibe/ ſich einen Leib zu legen/ oder auf den Leib legen. Venter etiam prominens, Popa, vel juxta *Perſii Satyr. 1. v. 57.* Pingvis aqvaliculus, tanqvam præcipua obeſorum nota, ſæpe pro iisdem obeſis vel obeſitate ponitur. Sic corporeus, ventripotens, ventrioſus, ventricoſus vel ventricoſitas non raro pro ejusmodi ſtatu corporis dicitur.

Ventri qvoqve vel corpori ſtudere, aut cutim curare, qvibusdam idem eſt ac cibis indulgere & obeſitatem vel corpulen-

pulen-

pulentiam procurare. *Janus Gruterus in Thesaur. crit. tom. 1. in Petri Nonni Alcmar. Syllog. 5. Miscellan. c. 20. p. 1341.* rectè videtur annotare contra Erasmum, ubi putat pro ventre divitem, & pro tenuitate pauperem vel mendicum intelligendum esse; Imò pro alimento accipi ventrem etiam illic asserit. *Diogenem* qvoqve dicit *Gruterus* γαςρίσαι pro saturare & γαςρίζεσθαι pro rapidius deglutire sumere. *Eustathiô* autore parasitus etiam dicitur γαςερόπληξ qvòd abdomini inserviat; similiter γάςρων vel γαςρώδης ventrosum connotat. Gastroden qvempiam eleganter describit *Nic. Frischlinus in Comœd. 1. act. 4. scen. 5.* Hinc *Casp. Hoffmannus in pathololog. parv. c. 17.* γαςρωδίαν vocat ejusmodi affectum, sicuti etiam Latinè à qvibusdam vox abdominosi loco obesi usurpatur. Gula vel venter à qvibusdam loco Dei ferè colitur adeò, ut qvidam facilè imitantur Wenceslaum Bohemiæ Regem, qui parvi æstimasse dicitur bonorum suorum reliqvorum jacturam, ubi intellexit, culinam & cellam ab incendio esse servatam. Sic facilis utplurimum nexus est inter bonos cibos, appetitum validum, ventrem in cibos & probam coctionem pronum, atqve inter popam vel obesitatem inde oriundam. Porrò obesi dicuntur etiam lacertosi, qvadrati, & corpus illorum succiplenum vel solidum; qvale, vel habitus qvalis athletarum aliàs existere putatur. Præterea qvòd *pingvitudo* rectiùs denotet obesitatem qvàm pingvedo vult *Ans. Popma de different. verbor. l. 4. p. 184.* Dehinc periphrasis hæc obesitatis non est infreqvens, qvâ plenus corporis habitus vel plenitudo illa dicitur. Nuncupatur item obesitas crassities corporis, veluti propter vastam corporis molem Ludovico Gallorum Regi nomen crassi accessisse perhibent. Similiter de Sanctio I. Hispanorum Rege constat ex *Ritio libr. 2. Regum Hispaniæ*, qvòd ob corporis habitum crassus cognomento fuerit dictus, & Cordubæ medicorum consilio ad maciem deductus sit herbæ cujusdam auxiliô. Præterea *Sagina* tam materiam, ex qva demum prodit pingvedo, qvam ipsum productum vel pingvedinem abundantem significat.

Apud Græcos variæ occurrunt obesi atqve obesitatis appellationes: juxta *Galenum in comm. 2. Aph. 44. & lib. 1. atqve 2.*

de temperam: c. 4. & 5. εὔσαρκον corpus est σύμμετρον qvod neqve gracile neqve obesum nimis est, sed mediocrem & bene compositum corporis habitum denotat. Æqvivalent his qvoad mediocrem, nec adeò culpabilem habitum vel statum εὐήτρ⊙· ventrosus, benè textus. Sic εὐσώματ⊙ καὶ εὔσωμος notat eum, qvi benè curatâ cute & statu, nec non robustô corpore præditus est. εὔτροφ⊙ benè nutritum, benè habitum, pingvem, item lætum designat in nonnullis *Dioscoridis* locis. Porrò ὀγκώδης tumidum, latum, obesum, sicuti ὄγκ⊙ molem in sensum tactus incurrentem, exprimit, & εὔογκ⊙, pro eô, qvi bono corporis habitu præditus est accipitur. Deinde ὁ πάχης obesum aut corpulentum, & apud *Galenum lib.* 1. *ad Glauc.* παχεῖς denotant eos, qui pleniori corporis habitu præditi sunt, veluti etiam παχύτης vel παχυσμὸς crassitudinem, corpulentiam & pingvedinem significant. Quod πάχ⊙ crassitiem abdominis imprimis denotet in locis quibusdam *Hippocratis*, probat *Jo. Cunr. Dieterich: in Iatreo Hippocratic. p.*942. Præterea ὁ καὶ ἡ πίων pingvem obesum, saginatum, & πιότης pingvedinem ac obesitatem exprimit. Accuratiùs quidam dividi & intelligi arbitrantur vocabula hæc, dum τὸ πῖαρ vel πῖ⊙ volunt denotare pingve, in quo plus solidi quàm humidi redundat; τὸ λιπαρὸν verò illud pingve, vel λιπαρότης pingvedinem, cui major humiditas adjuncta est, veluti hoc annotat in voce πίε⊙· *Gesnerus in Lexico.* Apud *Galenum* 14. *Therap.* 15. ὑπερβάλλουσα εὐσαρκία de ventre prominulo Schmeer/oder Henge-Bauch usurpatur; & hoc epitheto benè noster affectus, uti jam ante indicavimus, scilicet pingvedo vel obesitas exsuperans effertur vel exprimitur. Paulò majorem etiam, & vituperabilem magis statum indicare videntur ὑπερσάρκωσις, ὑπερσαρκώματα & ὑπερσαρκεῖν, qvæ de justo corpulentiori statu & carnium mole atqve excrescentia usurpatur; & his ipsis vocibus qvandoqve etiam caro supervacua, sylvestris, vel spuria indicatur Wild Fleisch. Valorem eundem paulò ante memoratum habent πολυσαρκία, id est corpulentia vel obesitas, aut πολύσαρκ⊙ corpulentus, valde carnosus, uti & πολυσωματία & πολυσωματότερος, insigniter, immodicè

dicè, enormiter corpulentus, corpulentior aut habitior; qvæ vocabula omnia obesum corporis habitum, Græcâ lingvâ indigitant.

Germani reddunt obesitatem ita : Fett-oder Starck-leibig/ übrige Fett-oder Feistigkeit.

CAPUT II.

De obesitatis definitione ipsiusqve adiunctis.

PLacet autem nobis obesitatem exsuperantem definire seqventi ratione : Obesitas est habitus sani & integri corporis auctus, à mole musculorum & pingvedinis inprimis ortus, qvi Symmetriam corporis excedit, functiones varias vel actu vel potentiâ facilè lædit, aut suffocationem mortemqve ipsam sæpe minatur. Qvod ἕξις vel habitus corporis inter alios significatus denotet constitutionem ipsius externam imprimis & in oculos incurrentem, constat ex variis locis *Hippocratis & Galeni*. Sic titulum etiam fecit sui tractatus non temnendi *Conringius*, qvem conscripsit & inscripsit de habitus corporum Germanicorum causis. Genus nostræ definitionis fecimus habitum, qvô ipso putamus nos non impingere in statum neutrum, ad qvem qvidam referunt obesitatem, & qvidem qvatenus eadem non planè præternaturalium classem subit, aut qvando hæc nondum ad summum statum inclinat vel evecta est. Non ita commodè verò nostrum affectum per tumorem definiri posse arbitrati sumus, cum tumor morbidum statum magis involvere videatur : qvâ ratione verò incusemus morbi obesitatem reliqva verba definitionis nostræ indicabunt. Cum *Galeno* eqvidem *Sennertus in Prax. lib. 5. part. 1. c. 4. p. 21.* ad tumores illam refert, qvod alios pariter imitari observavimus. Sic *Gabr. Fallopius in operum tom. 2. tr. 10. c. 2. p. 328.* dicit, obesitatem qvidem à *Galeno* ad tumorum speciem referri, sed non omnem tumorem morbum esse annectit; ideò etiam supra naturam, non præter naturam, id est supra habitum naturalem esse statuit obesitatem, cum plurimi obesi fungantur actionibus propriis

integrè, qvamvis non ita validè. Mitius proinde ad auctæ magnitudinis affectus, (veluti *Excellentiss. Jac. Pancr. Bruno in Lexico Castelli renovato sub voce* obesitatis facit) habitum, vel neutram conditionem refertur nostrô judiciô, qvia genus hoc non ita simpliciter involvit morbificam constitutionem. Alioqvin autores variant in obesitatis definitione constituenda. *Rod. à Castro de morb. mulier: part. 2. l. 3. c. 3. p. 233.* inqvit: Obesitas est morbus in magnitudine impediens coitus operationem, sæpe etiam est symptoma, qvoniam solùm pulchritudinem lædit. *Platerus in observat. l. 3. p. 545. & 547.* sub affectibus corpus deformantibus, illiqve incommodantibus complectitur etiam crassitiem corporis, aliosqve illius tumores præter naturales. *Gabr. Fallopius in operum tom. 2. tr. 10. c. 3.* obesitatem similiter refert ad pulchritudinis naturalis defectum vel turpitudinem, qvâ proportionem vel qvantitatem partes corporis excedunt, vel præter modum auctæ sunt. *Hier. Mercurialis de decorat. c. 6. p. 16. & 17.* dicit, crassitiem lædere pulchritudinem & actiones. Atqve ideò autor *l. a. p. 22.* pronunciat, obesitatem esse symptoma, qvoties solùm pulchritudinem & formam lædit; morbum autem, qvoties non solùm pulchritudinem, sed & alias actiones offendit. Pariter illud innuit *Petr. Laurembergius in pasicompse c. 6. p.* 54. qvòd obesitas obliteret pulchritudinem, nec sanitati sit commodo. Sic *Petr. Forestus lib. 31.* agens de fucis & affectibus cutis, vel qvi externam corporis formam deturpant, *cap. 10. p. 60*: illis accenset etiam obesitatis curationem; præter qvæ testimonia plura jam in illud assertum accumulare desino. Referunt etiam qvidam obesitatem ad morbum figuræ, qvod tamen minùs commodè fieri ostendit *Mercurialis l. a.* Laudatus Dominus *Bruno in dogmat. med. part. 2. c.* 11. §. *6. p.* 283. *&c.* nimiam pingvedinem vel obesitatem reducit ad symptomata excernendorum, qvæ præter naturam retinentur; plus enim succi nutritii sive sangvinis qvàm decet, retineri dicit; revehi enim debere nutritiam reliqvam materiam lege circulationis sangvinis arbitratur. Innuit etiam illic autor, qvòd morbida qvæpiam constitutio diversô considerandi modô ad plures classes affectuum præternaturalium referri possit, & qvidem interdum ad morbum, cau-

ſam morbi & ſymptoma. Subjectum patiens verò inprimis eſt externa corporis integri regio, & muſculi, qvi qvoad latitudinem ſuam extenti nutritiô rore purpureô atqve albicante, & qvidem non niſi copia vel abundantiâ excedente, deprehenduntur. Hac in ſententia conſentientem habemus *Mercurialem l.c.p.* 22. qvi pronuntiat obeſitatem neqvaqvam fieri ex materia præter naturali ſed ex naturali ; ita tamen ut ob immenſam copiam lædat. Homo autem tamdiu cumprimis augeri vel creſcre qvoad proceritatem videtur, qvousqve baſis ſolida fabricæ corporis humani creſcit, ſcilicet oſſa, qvibus feriantibus in creſcendi vel elongandi actione, ceſſant etiam reliqvæ partes, qvæ veſtiunt oſſa. Diximus etiam corporis ſani habitum auctum eſſe obeſitatem, qvando autem aliæ notæ morbidi ſtatus vel tumoris adſunt, tunc conſtitutio illa potiùs aliud nomen & conſiderationem medicam meretur. Solùm itaqve in noſtro affectu luxuriat pingvedo & muſculi, qvoad latitudinem ſuam inprimis aucti. Porrò voluimus in deſcriptione noſtra integri corporis habitum notare, cùm aliàs etiam partium qvarundam peculiarium, tùm internarum, tùm externarum ſtatum auctum annotarint autores, & hunc qvidem iterum qvandoqve ex carnoſa vel parenchymatica, qvandoqve verò ex pingvi materia : de qvibus in ſubſeqventibus exempla & teſtimonia occurrent. Qvia in obeſitate non benè potuimus excludere muſculos vel carnoſas partes qvadantenus auctas (licet variam differentiam inter carnis & pingvedinis geneſin ſtatuant autores) ideoqve pingvedinis molem inprimis abundare diximus. *Galenus 2. de temper: c. 4.* corpulentiam vel carnoſum habitum ex ſangvine abundante oriri vult, pingvedinem verò ex frigiditate habitus. Sic corpulentia iſtiusmodi athletis olim propria vel aſſignata videtur ab autoribus, verùm vix abfuit ab his pingvedo ; cùm robuſti ac qvadrati taliſmodi homines ad gymnaſtica priſcorum exercitia admiſſi, variis modis corpori corroborando & nutriendo ſtuduerint, veluti de his plura inter cauſas obeſitatis recenſendas occurrent. Mutuô nexu autem utplurimum ſibi invicem junctum eſt carnis & pingvedinis augmentum, nec alterum alteri mul-

tùm obest. *Franc. Sylvius in Prax. med. l. 1. c. 38. §. 4.* rariùs, inqvit, gravatur carne multâ vel nimiâ corpus, freqventiùs pingvedine. In validis & sanis qvibusdam autem pingvedo panniculo carnoso, fibris vel membranulis firmioribus adhæret, ac ideò corporis habitus solidior atqve corpulentia adesse apparet, & in iis inprimis, qvi laboribus moderatis dediti sunt, atqve editi à firmis parentibus; qvibus verò tenerior est corporis constitutio, vita deses, nec non qvando pingvedo laticis copiâ nimium diluitur, flaccidus, tener & candidus qvadantenus oritur habitus corporis, qvi adminiculis qvibusdam, & diætæ vitiis accedentibus, facilè in cachexiam abire potest. Qvadrant ferè in modò dicta verba illa, qvæ habet *Bauhinus de aqv. medicat. l. 3. c. 2. p.* 180. Satius, ait, putamus asserendum pingves & obesos pituitescere, qvàm pituitosos natura pingvescere. Bonus itaqve corporis habitus & obesitas legitima præsupponit bonæ ac legitimæ nutritionis media & modum. Accumulatur etiam tractu temporis pingvedo vera vel obesitas, & qvæ sunt plures aliæ illius legitimæ atqve inculpatæ notæ vel indicia. Hinc intumescentia illa flatuosa corporis totius orta ex uvæ venenosæ comestione, de qva *Hildanus cent. 5. obs. 39. f.* 293. neutiqvam propter subitum suum ortum, aliaqve symptomata & indicia obesitas dici vel existimari potuit. Juxta datam nostram definitionem obesitas etiam excedit symmetriam corporis, qvatenus scilicet crassities longitudini non est conformis, atqve sic vasta corpora vel statura longa non continentur sub obesitate, si musculi & reliqvus habitus illius corporis proportioni respondet. Æqvalis etiam corporis crassities & sagina excedit symmetriam ordinariam in obesitate, nec sola qvæpiam pars, veluti ab errore conformationis vel primo ortu, aliave morbidâ constitutione qvandoqve talismodi moles observatur in hominibus. Propter partes ejusmodi diversas magnitudine excedentes proportionem reliqvi corporis, homines peculiaria nomina sortiuntur: veluti capite magnô præditi capitones, nasô magnô nasones, labiis etiam labiones vel brochi, mammis nimis prominentibus mammosæ mulieres, pedibus plus justo majoribus pedones dicuntur; sic à crassitie totius

tius corporis qvidam crassi nomen nacti sunt, uti de Dedone Comite Rochlitii aliisqve pluribus constat. Nihil verò nostræ dissertationi jam est commercii cum istis elatis partibus, aut cum abdomine solô à varia causa vel materia intus latente atqve ideò intumescente. Præterea in definitione indicavimus, qvòd obesitas officiat variis actionibus vel functionibus corporis modò simul, modò separatè ; de qvibusdam actu læsis seqventia docebunt. Diximus insimul in definitione, qvòd obesitas potentiâ qvoqve dictas functiones facilè sufflaminare, vitæqve pausam inopinatò sæpe imperare vel imponere polleat. Si itaqve nondum evidenter sagina exsuperans lædit corporis munia, referenda est ad statum neutrum, vel illum, qvi non exactè sanus nec invalidus dici potest, interim tamen magis in posteriorem vel deteriorem inclinat. Licet ergò non ipsô actu lædat actiones modò plures, modò pauciores pingvitudo, qvando scilicet ad summum gradum nondum illa est evecta, attamen Medici inspectioni vel curæ subjacet eadem, cùm præservando etiam Medici teneantur præesse hominibus ; æqve ac Duces bellici, qvi pacis tempore tenentur esse soliciti de rebus, qvæ belli tempore reqviruntur vel necessariæ sunt.

Meminimus in definitione solum, qvòd obesitas obsit corporis functionibus, qvibus alii addunt, qvòd animi facultates & ingenium etiam eâdem turbentur, torporem contrahant & impediantur. *Trajanus Boccalini* vult, ne Reges Poëtis dona vel saltem non magna admodum largiantur : Si enim victum & amictum habeant, id sufficere illis arbitratur ; namq; superfluô apparatu & otiô ipsorum ingenia corrumpi, uti pingves gallinæ non ova pariant, & falcones satures venationi minùs intenti sint. Notum etiam est, de hac re proverbium Græcorum : γαστὴρ ἡ παχεῖα τὸν νοῦν οὐ τίκτει λεπτόν, pingvis venter non gignit sensum tenuem. Assentiuntur illi trito *Galenus in lib. ad Thrasyb. c. 37. & 2. de temper: 4. Pythagoras* aliiqve plures, qvos prolixitatis declinandæ ergò non allegamus: cui plura verò arrident de materia eadem, consignata reperiet similia in *Joh. Cunr. Dieterichi Jatreo Hippocrat. p. 944. & in Hieron. Mercurialis de decorat: c. 6. p. 20.* qvo in loco adductū illud dictum

de immoderatè obesis inprimis exponitur, & ratio ejusdem traditur. Qvòd sententia illa etiam accipienda sit de crassis, qvi tales ob gulam vel ingluviem aut voracitatem fiant, unde sangvis & spiritus crassi atqve impuri oriantur, & qvòd ideò istiusmodi hominibus apud Lacedemones vituperia & pœnæ destistinatæ fuerint, innotescit ex *l. a. p. 21.* Plura loca, qvæ adagio illi suffragantur colligi poterunt ex *Jani Huarti Scrutinio ingeniorum ab Æschac: Majore in Latinam translato p. 147. &c. Martini Zeileri Centur. 5. Epist. 60. Laur: Gieseleri de peste Brunsvicensi obs: 97. & Petri Laurembergii Pasicompse cap. 6. p. 49. & 53.* Attributum illud obesitatis invisum declinare voluit obesus existens *Bartolus de Saxo Ferrato* inter ICtos celebres non ultimus, hic qvippe *Ulpianum in L. 1. de Jurisdictione* commendat, qvòd rectiùs dixerit *jus dicendi latissimum, qvàm longissimum*, longos enim homines rarò sapientes esse dixit. Verùm procerum corpus vel staturam magni alioqvin ab aliis æstimari, illiqve singularem autoritatem, majestatem atqve dotes excellentes tribui, non pauca autorum scripta loqvuntur. Qvod verò concernit impedimenta vel mala, qvæ animo oriuntur à mole corporis, licet non semper eadem adesse in obesitate observetur; veluti industrii lingvarum periti ac probi, admodum tamen obesi, mentionem facit *Platerus in observat. l. 3. p. 548.* Facilè tamen hariolari possumus, qvòd canes venatici agiles ad venationem aptiores sint tauris saginatis & tardè gradientibus. Atqve hæc, qvæ hactenus adducta fuerunt, circa definitionem monenda esse duximus; de aliis, uti & de ultimis in definitione contentis verbis, qvòd nempe mors faciliùs immineat obesis qvàm macilentis, fusiùs in subseqventibus agetur.

CAPUT III.

Exempla de visceribus qvibusdam vastis, & pingvedine circa certas partes, vel in toto habitu corporis cumulata.

Attin-

ATtingere jam nobis lubet viſcera qvæpiam, qvæ magnitudine ſua exceſſerunt ordinariam proportionem, unde anſa indagandi nobis oriri poteſt, qvænam cauſa magnitudinis variæ exiſtat, quò eadem declinare poſſimus in obeſitate curanda, vel pro eadem avertenda. De jecore verò vaſto & exiguo agit *Jonſtonus in thavmatographia p. 446.* Annotavit quoque *Domin. Marchetti (in anatom: p. 41. & 42.)* hepar maximum abdomen mulieris magnopere replens, difficultatem ſpirandi excitans, illamque ſuffocans. De Cardinalis Gvaltieri hepate novem libras ſuo pondere æquante mentionem faciebant *Ephemerides publicæ ac bellicæ Lipſiæ impreſſæ Anno 1673. in ſeptimanæ qvartæ plagula 3.* Binis aliàs jecoribus præditos eſſe lepores in Biſaltia innoteſcit ex *Gellii noct. Attic. l. 16. c. 15.* Alia exempla de nimis magno hepate conſignata colligere licet ex *Acad: natur: curioſ: Miſcellan: Annorum decuria 1. Anni 1. obſ. 2. p. 16 & 17. it: ex Exercitat. Medica Henr: Eyſſonii & Henr: Meibomii de obſervationibus rarior: in nupero ſubjecto anatom: §. 14. edit. Groningæ* 1660. *ex Pæonis & Pythagoræ Exercit: anatom: 16. α. p. 76. & obſ: 16. β. p. 78. Goth. Mœbii fundament: Medic: p. 399. & ex Matth. Moroni directorio medic: p.* 216. Sic etiam de hepate monſtroſo in helluone reperto, qvi hydropicus periit, obſervationem habet *Dom: Panarolus in Pentecoſt:* 4. *obſ: 24. p. 125.* De hepate & pancreate magno itidem annotato agit *Iſaac. Cattierius in obſervat: Borello communicat. 10. p. 41.* Bis etiam hepar magnum à ſe obſervatum memorat *Phil: Salmuthus cent:* 1. *obſerv. 21.* Duo quoque exempla vaſtorum ac ponderoſorum hepatum ſcribit ſibi nota *Helmontius tr: de Retentis f: m.* 381. ubi autor ab hepatum dictorum & aliorum humorum, ſacculorum & tumentium rerum copia ventrem elatum fuiſſe meminit. Nolumus quoq; ab his abeſſe obſervationem de reperto ventriculo magno ac pulmone cum liene parvo in thorace, & hepate magno in abdomine obeſi, conſignatam à Nobil: Domino *Gabr: Claudero* (amico atque Collega noſtro, propter Acad: natur: Curioſ: honoratiſſimo) *in Epiſtola ad Marc. Ruychium data atqve edita Patavii* 1661. *Franc. Gliſſonius in anatom: hepatis cap. 2. p. 67.* in Rachitide inprimis nimium hepatis incrementum obſervavit. Sic in ta-

 be-

bepectorea endemia per Angliam & Hiberniam infantibus præcipue familiari ac fæpiſſime lethali, utplurimùm hepar ſupra modum auctum, imò duplô & triplô fermè majus ſe reperiſſe teſtatur *Arn: Bootius in obſerv: med: de affectibus omiſſis p.32. &c.* Arbitratur verò illic autor, quòd malum hoc partim hæreditarium exiſtat, partim verò à matre aut nutrice in victu multum peccante proficiſcatur ; cùm vinum, cereviſiam fortem, vel aliam ſiceram & aquam vitæ crebriùs ac largiùs ingurgitent. Suſpicor tamen malo illi complicato præter hæreditariam labem diætæque errorem accuſatum non ultimam manum imponere carbonum vel ceſpitis foſſilis fumum aëremqve minùs alioquin illic ſalubrem à quibusdam pronuntiatum. Præter allegata illa autor modò citatus hepatis incrementum etiam in Phthiſi ſeu pulmonum tabe crebrò ſe deprehendiſſe evulgat, hujusque cauſam aliqualem illic annectit. Non ſatis colligo mentem *Caſp. Hoffmanni* ex ipſius *tr: de medic: officinal: in præfat:* conſignatam : ubi tradit quod ſpiritus vini tam ſit infeſtus hepati, ut duarum triumve menſium ſpatiô colliqvatione introducta hydropem fecerit, quæ omnibus funeſta fuerit. Aſſerunt autem non pauci autores, quod ex ficubus pro animalium ſagina adhibitis magnopere augeatur hepar, unde etiam Ficatum pro hepate ſolo, licet non ab iisdem ortum atq; auctum ſit, uſurpatur, de quo *Thom. Reineſius in var: lect: l. 3. c. a. p. 394. Joh. Bapt. Porta in Mag: nat: lib: 14. c. 6. p. m. 509. &c.* Porrò quod Ficatum συκωτὸν Italis Fegato pro hepate à ſagina ficuum facto vel aucto, aut pro quovis jecinore accipiatur indicat etiam *Carol: du Fresne in Gloſſario ad Scriptor: Med: & infim: Latinitat: ſub voce illa p. 423.* adde ſis de voce Ficati *Jac: Pancr: Brunonem in Caſtelli Lexic: renovat:* ſub voce illa. Olim etiam Athletas ficubus fuiſſe uſos antequam exercitatos eos Pythagoras ad carnis uſum, tanquam fortiorem cibum tranſtulerit, meminit *Reineſius l. a. lib: 2. c. 8. p.* 201. De iisdem etiam videatur *Lud: Nonnus de re cibar: l.* 1. *c. 40. p.* 124. Quod ficuum uſus robuſtos reddat homines & impingvet, ſed ſimul ſudorem abominabilem pariat, non impugnat *Jul: Caſ: Baricellus in hort: genial: p. 214. Caſp. Hoffmannus l. a. lib: 2. c. 90. p.* 227. *& cap. 91. p.* 232.

232. de glandibus fabis & ficubus loquens, inprimis de duobus posterioribus fructibus dicit, eosdem multum quidem, sed laxum & fungosum alimentum dare. Cui sententiæ etiam de ficubus suffragatur *Melch: Sebizius de aliment. Facult. l. 2. p. 282.* dum illas dicit plus alimoniæ corpori suppeditare, quam alios fructus autumnales; non tamen carnem firmam, solidam atqve compactam generare veluti panis & suilla caro, sed laxam & mollem.

Similem effectum de ficubus pronunciat etiam *Joh: Bruyerinus de re cibaria l. 11. c. 37. p. 496.* idem autor *l. a. lib. 1. c. 17. p. 47.* ita: Scimus, ait, jecur tum in suibus, tum anseribus, cibariis enutritis incrementum pene incredibile adsumere.

Porrò qvod pulmo maximus subinde in hominibus repertus sit, patet ex *Phil: Salmuthi cent: 1. obs. med: 22.* & aliis autoribus pluribus.

Præterea Lienem parvum annotavit etiam *Otto Heurnius in observat: Med: Fernelii operib. annexis obs. 19. p. m. 20.* Lienem triplo majorem observatum reperies ab eodem *ibidem obs. 22. p. 22.* De Liene grandi ac parvo exempla suppeditat *Mœbius l. a. pag. 376.* ubi simul autor innuit, qvòd laniones ex viscerum, præcipuè verò haeatis & lienis parvitate, carnis bonitatem dijudicare soleant. Docet id ferè etiam *Jonstonus in thaumatograph: p. 446.* scribens: vastum Lienem in corporibus emaciatis sæpe repertum esse. Hæc autem attentionem & inqvisitionem merentur, qvid pro sangvinis perfectione atqve ita nutritia materia conferant illa viscera, cùm minora illa bonum, majora verò eadem deteriorem corporis statum comitentur aut portendant. Alia exempla magni lienis depromit *Mœbius l. a. pag. 399. & 400.* ubi autor laudatus iterum allegat, qvòd aqvam è nive vel glacie solutam bibentes magnos habeant lienes; idem hoc evenire in locis palustribus degentibus, indicatur ibidem. Sic maritimis locis endemium illud & alia lienis mala esse asserit ille. De aliis exemplis lienis magni & exigui, agit qvoqve *Andr: Vesalius de human. corpor. fabrica tom. 2. l. 5. c. 9.* Evolvantur etiam in hanc rem *Moronus in director. med. p. 263. Miscellan: Acad. nat. curios. l. a. obs. 2. p. 15. & 17. atq;*

obs. 29. p. 100. &c. & Rumlerus in observat. med. 52. p. 32.

Communis aliàs est veterum traditio, qvòd bruta crebrò depascentes asplenum, vel scolopendrium, plantam illam notam, splenem deperdant. De hujusmodi efficacia scolopendrii pro splene & epate imminuendo ac restituendo aliisqve viribus, vix tamen veritati respondentibus, allegata videantur in *Remb: Dodonæi Stirp. histor. pemptad 3. l. 5. c. 8. p. 465.* ubi autor hic effectus ejusmodi figmento postulat & fabulis anilibus accenset. Utrum vero hic autor omnem vim spleni inservientem in aspleno impugnet, non satis ex loco illo colligo. Interim, qvòd splenem atqve jecur referet illa planta, priori sententiæ qvadantenus favere videtur *Casp. Hoffmannus de med: offic. l. 2. c. 20. p. 442.* De aliis, qvæ lienem pariter absumere dicuntur agit *Joan. Bruyerinus de re cibar. l. 1. c. 17. p. 47.* qvo in loco similia alia indicantur, qvòd scilicet mirabilis sit qvorundam ciborum antipathia contra qvædam viscera.

De magnis renibus in salaci homine repertis, prostat Historia *in Salmuthi Cent. 1. obs. 22.* Alia de magnitudine notabili renum communicat *Scultetus de trichiasi admiranda p. 37. & 39.* De similibus renibus, post suppressionem urinæ observatis *Dom: Panarolus in Pentecost. 2. obs. 40. p. 53.* Asseverat etiam *Helmontius tr. de retentis f. 3813.* qvod viderit persæpe alterum renem calculis obstipatum monstrosè excrevisse. De magnis ac parvis renibus testimonia etiam allegat *Moronus l. c. pag. 383.* De minoribus renibus communicat etiam nonnulla *Timæus l. 3. cas. 28. p. 145. & 146.* Alter etiam ren interdum longe major fuit repertus, qvando alter defuit in hominibus, de qvo erudiunt nos *Pœonis & Pythagoræ exercitat: anat: 34. p. 190.* Similis historia etiam innotuit in *theatro anatomico nostræ Salanæ Anno 1681, d: 18. Novembris.*

Hactenus dicta merapiunt in admirationem & cognitionis accuratioris desiderium, utrum scilicet res qvædam certis partibus augendis vel minuendis verè & specificè destinatæ sint, veluti talia dari multi autores adstruunt. Præterea cordis magnitudinem qvadruplô excedentem statum in bibulo qvopiam, qvi nimis helluationibus indulsit, consignat *Otto Heurnius in obs. 28.*

Plura

Plura exempla de corde magno vel parvo continentur in *Miſcellan. Acad. natur. curioſ. l. a. obſ. 70. p.* 171. *&c.* His addatur etiam Excell. *Joh. Dan. Horſtius in Manud: ad Medic: p. 37.* & *Pæon & Pythagoras in Exercitat: anatom: 23. p. 130. & Ex: 24. p.* 133. Corda verò parva conceſſa eſſe ſalacibus innuit *Garmannus de miracul. mortuor. l.* 1. *p.* 104. §. 10. Qvod aſſertum ex ſubſeqventibus dilucidari poterit, ubi indicabitur, qvod craſſi ſterilitati obnoxii atqve macilenti in venerem proni, & ad propagandam ſobolem aptiores obſerventur. Juxta multorum opinionem ii etiam, qvibus cor parvum eſt conceſſum, audaciores exiſtere dicuntur, de qvo *Pictorius in cent. 1. qvæſtion. Phyſ.* 65. Cui addi poſſunt idem argumentum attingentes *Alb: Kyperus in Anthropolog. p.* 16. Idem illud probare conatur exemplô qvorundam brutorum, qvæ majori corde prædita ſunt, ratione proportionis de reliqvo corpore conceptâ *Wolffg. Waldungus in Lagographia c. 16. p. 34.* Qvod animalia ſtupidiora magnô corde prædita ſint, uti & timidi homines; audaces verò parvô adſtruit item Celebris *Joh: Dan: Horſtius l. c. p.* 37. De materia hac, qvòd non audaciæ cauſam vel anſam præbeat cor magnum, & parvum triſtitiæ, ſed potius ſpiritus, concludit *Voigtius in curioſitat. phyſ. p. 148. &c.* Non plane abſurdum hoc eſt, velut inter obeſorum incommoda etiam ſimilia occurrent; namqve in gracilibus ſpiritus agiliores ſunt qvam in obeſis, in qvibus eqvidem magnitudine partes variæ, non autem adeò ſpiritus copiâ luxuriant.

Ex *Linſchoti cap. 29. & 34. refert Georg: Hornius in hiſtor. natural: l. 1. c. 15. p.* 53. qvod in India Meſtiæi (hoc eſt, qvi patre Luſitano, matre Inda nati ſunt) ſimiles exiſtant Indis, & qvod ii pleriqve inflatos ventres habeant, tertiâ verò generatione Luſitani plane in Indos degenerent; homines illos etiam propter dictam notam Berrigois, ſeu ventres dici innoteſcit ex locis allegatis.

Præter hanc recenſitam molem partium diverſarum etiam adipem vel pingvedinem copioſam qvandoqve auxiſſe vel obſediſſe partes qvaſpiam experimur in hiſtoriis medicis;

dicta pingvedo etiam subinde circa minùs obesorum partes qvasdā luxuriavit. De corde, omento & mesenterio magnopere obsito pingvedine in puero, qvem etiam ob reliqvam totiꝰ corporis pingvedinem exsuperantem obiisse arbitratur *Th. Kerckringius in Spicileg. Anat: 66. p.* 134. De abdomine infarcto pingvedine *Th. Bonettus in Anatom: pract: p.* 133. & 632 De pericardio mulieris pingvedine penitus circumdato *Th. Bartholinus cent. 1. histor. 92.* De corde principis Lunæburgensis, quod totum pingvedine immersum fuerit, testatur *Joh: Jessenius in Anatom. Prag. p.* 25. De corde quopiam ex sola pingvedine constante *Helmstadiensis Academiæ programma Anno 1657. impressum* fidem facit. De hoc & aliis exemplis cordis adipe occultati mentio quoque fit *in Exercitat. Medica Henric. Eyssonii & Henr: Meibomii de observat: rarioribus in nupero subjecto anatomico §. 25. Groningæ edit:* 1660. Sic de omento in macilento viro pingvedine valde circumfuso, adeò ut nullum ferè vas meseraicum & longè minùs glandulas mesenterii lustrare licuerit observationem continet *l. c. §. 8. & 9.* De morte subita ab adipis copia pericardium in vestiente *Bonettus l. a. p.* 699. Annotata quoqve prostat mors præceps orta ex nimia pingvedine circa pulmones præsente & ex aliis adhuc qvibusdam causis *in Acad. natur. curios. miscellan. Annor. Decur. I. obs: 101. p. 233.* Sic de ovibus, quarum renes pingvedine undiqve obducuntur, quod intereant, idque contingat pabuli ubertate, videatur *Aristoteles 3. hist. anim:* 17. Causam verò mortis illius oriri à pingvedine, quatenꝰ vasa renum eadem intercludat vel comprimat, atq; ita mala varia ansamqve mortis contrahat, arbitratur *Marc: Malpighius in Epistol. anatom. p.* 112.

Demum etiam his annectimus autorum loca, quæ exempla & historias de obesis continent, quas verbotenus exscribere hoc loco nobis nec licet nec libet. Evolvantur ergò de iisdem *Thom. Bartholinus cent. 2. Epist. 81. & 82. p.* 661. *Idem in cent. 3. histor. anat: 88. Tulpius cent. 3. obs: 55. p. 269. Jac: Dan: Ernesti* im Bilder-Hause *p. 97. &c. & p.* 101. *Th. Bonettus l. c. pag.* 1705. *Jonstonus l. 34. c. 2. Joh. Cunr: Dieterichius in Jatreo Hippoccatico p.* 944. *Sennert. in Prax; Med: l. a. p.* 21, 22. & 23. *Mo-*

ronus

ronus in director. Med: p. 326. Zvvingerus in theatr: vitæ hum: volum. 17. l. 6. p. 2577. Platerus in observat. lib. 3. p. 547. Mart. Zeilerus in Cent. I. Epist. 91. & cent. 3. Epist. 81. Salmuthus in Panciroli memorabil. l. 2. p. 519. Petr. Laurenberg. in Pasicompse c. 6. p. 53. Sic constat de Epaminondæ milite qvopiam, qui ita obesus fuit, ut quatuor clypei non tegerent ejus ventrem, propter qvem etiam nunqvam sua pudenda ille vidisse dicitur. Non exigua etiam staturâ & obesitate præditi fuisse videntur Hebræi illi Rabbini Eleazarus & Ismaël, qvibus tam grandes ventres fuisse referunt historiæ, ut cum starent faciebus & corporibus juncti, duo validi boves inter eos transire potuerint, neutrum contingendo, de qvo *Laurenberg. in Musomach: p. 64.* & alii plures. De crasso qvopiam viro, qvi neglexit corporis exercitium in juventute, & qvòd usu panis tosti, cumini atqve anisi seminis frustra ausus sit imminuere molem corporis, vitamqve suam conservârit popâ suâ, cum à Tyranno qvopiam ad carceres condemnatus non posset in illos intrudi, ob molem nimiam, consignata legi possunt apud *Zeilerum cent: 5. Epist: 24.* Porrò Amalricus Rex Hierosolymitanus insigniter pingvis fuit, ut more fœminarum mammillas haberet cingulo tenus prominentes, ceu recenset *Gvil: Tyrius de bello sacro l. 19. c. 3.* Miræ magnitudinis & lactantium obœsarum mulierum mammas superantes, vidit etiam in crasso viro *Platerus l. a. p. 548.* Lac qvoqve in mammis obesorum subinde reperiri ex inferiùs dicendis patebit. Suppeditat qvoqve nonnulla de obesis exempla *Joh. Ravisius Textor in officin: histor: l. 2. c. 47. p. 137.* Qvo in loco jucunda illa historia etiam continetur de Leone Byzantino obeso cujus uxor pingvior exstitit, qvi sophistia aliqvando factionem vel seditionem composuit, dum vasta suâ obesitate risum movit populo & verba fecit de se suaqve conjuge, cum qva placidè & qvietè se in locis angustis contentum vivere dixit; qvam historiam etiam allegat *Joh: Adam: Weberus* in der Unterredungs-Kunst *part. 2. p. 213.* Plures historias de obesis aliis colligere licebit ex iis, qvæ legentur in capitibus seqventibus consignata.

CAPUT IV.

De obesitatis variis incommodis, symptomatibus & conditionibus.

INcommoda varia, qvibus obesi obnoxii sunt perbenè complectitur verbis seqventibus *Avicenna lib. 4. Fen. 7. tract. 4. c. 5. f. m.* 968. qvæ huc transferre nobis libet : Pingvedo superflua, ait, est impediens corpus à motu & deambulatione & operatione, coarctans venas coarctatione constringente eas: qvare oppilat spiritui vias suas, qvam ob rem extingvitur multoties : & similiter non pervenit ad eos spiraculum aëris, qvare corrumpitur propter illud complexio spiritus eorum : & sunt in timore qvòd expellatur sangvis eorum iterum ad locum constrictum, qvare fortasse findetur vena subito scissione perniciosa. Et in hujusmodi qvidem dispositione, qvæ est ante eam, accidunt eis constrictio, anhelitus, & pulsus cordis : qvare succurratur tunc dispositioni eorum cum phlebotomia. Et isti qvidem penitus expositi sunt morti repentinæ. Et ad summum mors super ultimatos in pingvedine festinat, & proprie illos qvi inpingvantur in prima ætate : ipsi enim minutas habent venas, & constrictas. Et sunt expositi apoplexiæ & paralysi, & pulsui cordis, & diarrhœæ propter humiditatem ipsorum, & malitiæ anhelitus, & syncopi & febribus malis : & non tolerant famem, neqve sitim causa constrictionis meatuum spiritus, & vehementiæ frigoris complexionis & paucitatis sangvinis & multitudinis phlegmatis. Et homo qvidem non pervenit ad ultimã magnitudinis impingvationis, nisi cum est frigidæ complexionis. Et similiter isti non sunt generantes neq; producentes embryonem, & sperma ipsorum est paucũ: & similiter, qvæ de mulieribus sunt pingves non concipiunt: & cum concipiunt, abortiuntur, & earum appetitus iterum est debilis. Et cùm isti qvidem omnes curantur cum medicinis, non fortasse penetrant medicinæ in venas eorum usq; ad membra eorum læsa. Et qvando infirmantur, non sentiunt nocumentum velociter, qvoniam sensus eorum sunt debiles. Et

phlebo-

phlebotomia eorum est difficilis. Et in eorum solutione ventris est timor ; fortasse enim movebit humores eorum, & non erit possibile, ut penetrent in venas, redeundo propter coarctationem earum ; qvare fortasse ducet ad perditionem illud. Si autem faciunt aliqvid, infirmat eos ; qvoniam calor eorum innatus est debilis, qvoniam ejus locus est strictus &c. Hactenus Avicennæ verba, qvæ propterea huc transscribere voluimus, qvia continua serie neminem fere vidimus meliùs obesitatis conditiones annotare qvàm eundem. *Thom. Fienus in Simiotices part. 2. c. 2. p.* 147. de nonnullis recensitis symtomatibus loqvens, rationes illorum ibi annectit. Dicit etiam autor præter adducta illa incommoda calorem nativum imminui, humores non ventilatos putrescere & obesos à vesicæ calculo per sectionem ægrè liberari &c.

Porrò obnoxii crebriùs sunt obesi variis catarrhalibus affectibus à sero oriundis, colicæ, singultui, cephalalgiæ, aurium ac dentium doloribus & malis aliis, erysipelati item vel inflammationibus variis, ulceribus diuturnis, tussi, ardori ventriculi &c. De nonnullis antea memoratis affectibus jam sigillatim adhuc dispiciemus, cùm ex eorundem consideratione non nihil lucis vel commodi in doctrinam vel cognitionem & curationem obesitatis redundare posse arbitremur.

Corporis verò difficilis motus vel immobilitas facilè oritur ab obesitate excedente, cujus causa in promptu est ; infarcit qvippe pingvedo utplurimum omnes artus & partes molles motui destinatas, unde musculi non promptè cedunt pro motu absolvendo; articuli etiam ideò non facilè flectuntur, qvia cutis & tendines pariter ob dictam illam remoram non possunt adeò parere motui. Atqve sic ii, qvibus obesitas & hujus contrahendæ studium voluptarium est, sibi qvasi Paralysin, carcerem aut compedes spontaneas accersunt. Qvod de lassitudine spontanea effatur *Hippocrates 2. Aph: 5.* scilicet spontaneas lassitudines morbos denunciare : id de obesis haud difficulter dici potest; immobilitas enim corporis, torpor, proclivitas in somnum aliaq; plura spiritus minùs alacres arguunt, & sæpe majora mala, scilicet Apoplexiam, Paralysin veram & alia

 simi-

ſimilia mala, vel vitæ analyſin portendunt. Exempla illorum qvi loco moveri non potuerunt ſolâ ſuâ ope niſi, propter ingentem ejusmodi ſuam ſarcinam corporis, non ſunt inaudita. Sic de Nicomacho Smirnæo tandem ab Æſculapio curato immobilitatem talismodi aſſeverant *Galenus de different: morb: cap. 9. & Cæl. Rhodiginus in Antiq: lect: l. 2. c. 13.* De Henrico VII. Rege Angliæ mentio fit apud *Thuan. ad Ann.* 1547. *lib. III.* qvod multi ſucci abdomine adeò gravis & iners evaſerit, ſangvine ſcilicet in pingvedinem versô, ut vix per oſtia ingredi, neqve ſcalas conſcendere potuerit, ſed in cathedra poſitus machinis in ſuperiora ædium ſubvehi debuerit. Hinc propter agilitatem & alia promptitudinis ad bella denegata adminicula forte pingves milites à bello arceantur, juxta *Lipſium in Polit. l. 5. c. 12. §. 26.* De variis partibus qvomodo ad motus ſuos ordinarios ineptæ reddantur, diſertè loqvitur *Fallopius l. a. p.* 329. De Romana muliere nobili, non admodum mobili, cui pingvedo infra umbilicum ad genua usqve prolapſa fuit, aut dependit, qvod illa tantæ fuerit molis, ut ex conjectura triginta circiter libras & fortaſſe ampliùs excederet; cui etiam faſcia lata ſvaſa fuit collo & humero alliganda pro mole illa ſuſtinenda, de hac inqvam dicta hæc refert *Dom: Panarolus in pentecoſt: 4. obſ: 32. p.* 130. Nota etiam mihi eſt mulier etiamnum in vivis exiſtens, qvæ non niſi bajulorum aliqvot adminiculô locum vertere & lectum occupare vel deſerere poteſt. Moleſtus magis redditur motus corporis iſtiusmodi miſeris hominibus, ſi celeriùs currere, ſaltare, vel loca acclivia adſcendere conantur aut tenentur; reſpiratio enim neceſſaria minùs ſuccedit, ut ideò anheli magis reddantur inde iidem, qvi alioqvin aſthmati utplurimùm ſunt obnoxii; de hujus verò ætiologia, non eſt, ut nimis anxiè inqviramus; vaſa qvippe ſangvifera, ab abundante pingvedine corporis habitum infarciente, comprimuntur, ut ideò circulationem ſangvinis promptam non admittant. Taceo remoram, qvam pulmonibus expandendis atqve aëri ſufficienti in eosdem recipiendo injiciunt abdomen extenſum & muſculi intercoſtales, qvibus pingvedo impacta motum ſuum liberum ſuffuratur. Qvam poſtremam cauſam inter alias accu-

cusat Excell: *Paul: Ammannus in Parænesi ad discentes p.* 151. Proinde, qvia nimis obesi difficultatem respirandi, apoplexiam, syncopen aliaqve mala varia, & mortem ipsam repentinam perpeti subinde solent, istos ad eqvuleum jure non posse duci, statuit *Fort: Fidelis in relat: med: l. 2. c. 3. p.* 231. *&c.* Propter ineptitudinem eundi & difficilem anhelitum itidem obesos ab onere, subditis qvibusdam incumbente, scilicet itinere, pedestri imprimis suscipiendo, immunes esse arbitratur autor citatus, & *l. a. c. 10. p.* 249. *&c.* nonnulla adhuc circa eorundem conditionem excipit, qvatenus citiùs onus illud subire teneantur. Etiamsi reperti sunt qvandoqve obesi, qvi agiles qvadantenus & ad choreas non plane inepti fuerunt, (veluti apud *Platerum l. a. p.* 548 exemplum qvoddam legitur) vix tamen cum gracilibus eâ ratione concertare & continuare motum validum corporis valuerunt. Qvare, qvibus ejusmodi motus obtruditur, invitis canibus, ut ita loqvar, venari coguntur, nec diu, vel sine molestia motui vel exercitio corporis vehementi atqve continuato iidem interesse possunt. Ideoq; rectiùs videtur statuere *Paul: Zachias in qvæst: med: legal: tom. 2. l. 6. tit. 2. qvæst:* 4. qvòd obesi propter difficilem respirationem aliaqve mala nova metuenda, præter illa, qvibus illi jam obruti sunt, meritò à supplicio chordæ, explorandis flagitiis & veritati alioqvin destinato, absolvuntur. Utut res non indigere probatione prolixâ videatur, qvòd obesi orthopnœæ vel asthmati sint obnoxii; si tamen expetantur exempla & testimonia id adstruentia, peti eadem possunt ex *Plinii l.* 11. *c. 37. Petr. Foresti l.* 31. *obs: 10. p. 60. Bald. Timæi à* Güldenklee. *obs: med: lib. 6. obs. 12. p. 260. &c. & Georg. Henr. Velschii Hecatast. 2. obs. 61. p.* 34.

Præterea adest compressio & angustia vasorum in obesis, qvæ non parum obest circulationi sangvinis & spirituum generationi; imò qvia partes ubiqve repletæ sunt pingvedine, non tanta copia sangvinis sæpe continetur in vasis, uti qvidem in macilentis, veluti illos etiam ὀλιγαίμυς pronunciat *Aristoteles*, aliiqve plures, qvi ideò varia mala in eosdem redundare statuunt. An etiam interdum pingvedo in pingvitudine corporis vasa intret, illic concrescat & asthma, lipothymiam

 mor-

mortemqve inferat, propter ſangvinis circulum cohibitum, exactè adſtruere non valeo; pluries verò in vaſis ſangviferis materiam vel corpora albicantia, adipi concreto ſimillima, reperta eſſe *ex Welſchii obſervat: Epiſagmat: 34. p. 22.* aliisqve locis autorum diſpaleſcit.

Accuſant porrò autores exſuperantem pingvedinem, qvòd cuti denſitatem inducat, unde pori cutis conſtringantur, ne ſerum è corpore evacuari poſſit: veluti *Carol: Piſo de morbis à colluv. ſeroſ. oriundis ac prætervìſis obſ:* 129. *p. m.* 350. cauſam hanc & pannos ſericos vel ſtragula ſimilia coccô infecta accuſat, qvòd perſona illuſtris obeſa crebrò dormiens contecta iis, arthritidem contraxerit; docet qvippe autor illic, qvòd vi eximiâ adſtringendi præditi ſint ejusmodi panni infecti ob coccum: veluti plura proximè de eâdem materia trademus in ſcrutinio noſtro amuletorum, qvòd ſtatuentibus nonnullis autoribus, ſtragula talismodi, tùm ob dictam, tùm ob alias cauſas ſuſpectas plures non ita locum reperiant, contra vulgi opinionem, in variolis prolectandis. Deinde volunt etiam autores, qvòd forinſecus admota medicamenta non ita in cutim penetrare, atqve conſeqventer in ſangviferis vaſis mediante circulô ſangvinis diffundi poſſint. Confirmat hoc *Joh. Theod: Schenkius in Syntagm: med: p.* 135. qvod obeſis parum proſint linimenta propter pororum anguſtiam; graciles verò diuturno illorum uſu viſcerum alterationem perſentiſcant. Teſtatur qvoqve *Helmontius tr. de febr: c* 17. §. 12. & 13. qvòd emplaſtrô ſuô febrifugô centenas qvartanas tuto ſanaverit ſine recidiva, licet autumnales fuerint. Subjungit autem verbis iſtis etiam autor, qvòd emplaſtri dicti exteriùs cuti admoti obſeqvia tardiora fuerint in obeſis; de qvo itidem in ſcrutinio noſtro amuletorum plura occurrent: ubi etiam trademus, cur foris admota corpori venena calidiores & majori pulſu præditos citius inficiant ac interficiant, & qvod morſus venenatorum animalium inflictus cuti teneræ illisqve locis, ubi multæ venæ & arteriæ proſtant, citiùs officiat. Atqve ideò etiam fortaſſis contagioſa vel peſtilens materia corpori extùs accedens

non ita subito obesos afficit aut inficit, de qva materia paulò post plura movebimus.

Deinde sensûs tactus habetudo dicitur inesse obesis, cùm pingvedo ægrè punctus vel alias violentas læsiones aut incisiones persentiscere credatur, de quo varia autorum loca vel testimonia nota sunt. Ex multis sufficiant seqventes autores, scilicet *Joh: Andr. Graba de cervo c.* 28. *p.* 293. Inter alia penem pingvedine ideò destitutum esse, ne sensus abtundatur & voluptas minuatur, statuit *Alb: Kyperius in Anthropol: l.* 1, *c.* 9. *p.* 141. *Joh: Bettus de ortu & natura sangvinis p.* 70. & 71. adstruit itidem nimis pingves non benè sentire, soporibus esse deditos, celeriter senescere, & sterilescere, de qvibus nobis suppetunt etiam alia testimonia mox recensenda.

Comperimus autem obesos in somnum esse proclives: Sic *Atheneus l.* 12. *c.* 26. *Ælianus l.* 9. *de var. histor: & Nymphis Heracleotes lib: Heraclea* 2. de Dionysio filio Clearchi & Siculorum tyranno enarrant, quòd adeò corpore obesô præditus & somnô profundô sæpè detentus fuerit, ut non nisi aciculis punctus suscitari potuerit, qvòd inter alios etiam annotat *Thom: Bartholinus in anatom: l.* 1, *c.* 3. *p.* 17. Referunt etiam autores, qvod Dionysius ille 55. *annos vixerit*, cum aliàs *Hippocrates* ejusmodi homines βραχυβιωτέρους pronuntiet. Istum tamen crassitudine tandem suffocatum esse enarrat *Atheneus l. a. cap.* 27. Laudatus *Conringius loco sæpius citato p.* 91. refert athletas Græcorum somnolentiæ nomine male audire *Platoni* 3. *de legibus volumine. Marc. Malpighius in Epist: anatom: p.* 106. scribit; Sæpe obesos plus justo somnolentos esse, & tandem qvasi obscuratô vel obliteratô pulsu absqve febre suffocatos interiisse, non sine respirandi angustia; plura etiam animalia, cum autumno impensè saginata sint, somno correpta in latebris absq; cibo per hyemem degere, donec dissipata pingvedine acrior redditus & excitatus sangvis ad nova munia inducta vigilia revocet. De his nonnullis verò alio in loco nostræ dissertationis fusiùs agetur. Qvod autem somni & torporis causam concernit, à curioso *Malpighio l. a. p.* 104. *&c.* prætensam, aliis trutinandam relinqvo, num suspicio ipsius locum inveniat, dum arbitratur; qvòd

ex

ex vasis adiposis vel fibrosis corporibus omenti vel aliarum partium adipis aut pingvedinis nonnihil materiæ pingvis in venas infundatur, atqve conseqventer inter alios affectus somnus inde excitetur. Deniq; de obeso in lethargum, & non longè post in mortis fauces irruente, historia legitur in *Excell. D. D. Paul: Ammani Med: Crit: cas. 65. p. 335. &c.*

Qvod spirituum penuriâ qvoqve laborent obesi, ex antea dictis & adhuc dicendis patescit; atqve hinc promanant varia symptomata, inter qvæ referunt etiam autores timiditatem & metum, qvem magis experiri dicuntur illi, qvàm graciles. Innuimus jam ante, qvòd obesi etiam minùs ingeniosi credantur existere: Sic *Isbr: Diemerbrockius in anatom: p. 285.* disqvirit, cur obesi minùs alacres & ad venerem apti sint, item cur eunuchi atqve castrata animalia pingviora evadant & langvidiora ac minùs animosa &c. Sic docet etiam *Timæus l. 3. cas. 46. p.* 187. qvod castratio homines & animalia pingvia qvidem, sed non fortia & generosa reddat.

Potissimam causam qvoqve in spirituum langvore ac penuria reqviescere suspicor, qvòd communi pene suffragiô autorum uterqve sexus obesitate obrutus ad sterilitatem & segnitiem generandi inclinet. *Aristoteles l 2. de part: an: c. 5. Georg: Pictorius cent. 1. qvæst. phys.* 24. & alii plures Aristotelis vestigia seqventes ab ὀλιγαιμίαν obesa corpora sterilia esse statuunt; verùm tanta portio sangvinis facilè seminis exiguæ qvantitati subvenire & sufficere posset, ne deficeret generationis materia & effectus, nisi spirituum penuria & alia impedimenta magis accusanda forent in obesis. Inter sterilitatis causas recenset etiam obesitatem *Laz: Riverius in Prax: med: l. 15. fol.* 473. eamqve corrigendam censet extenuante victus ratione & convenientibus evacuantibus. Qvod utriqve sexui noceat in generationis negotio nimia obesitas, indicat *Fort: Fidelis in Relat: med: l. 3. c. 4. p.* 364. Viris nocere eandem, nec prolificos ita esse illâ onustos, innuit qvadantenus *Bartholinus cent: 2. Epist: 83. p. 666.* Evolvantur etiam in hanc rem *Hœferus in Herc. Med. l. 7. c. 1. p. m.* 367. *Sebizius l. 5. de alim. Facultat. Africanus 9. Loc. med. 4'. p. 302. Sinibaldus in Geneanthr. p. 512. Plinius*

l. 2.

l. 2. c. 37. Wittichius von Unfruchtbarkeit der Weiber *p. 13. Hippocrates in libr. de superfœtatione p. 44. de muliebr: nat: & περὶ ἀφόρων p.* 250. Innumera loca alia idem hoc adstruentia, ex autoribus facilè colligi possent, qvi de sterilitate utriusqve sexus, aut de obesitate agunt, si opus foret. Rationem vel causam sterilitatis in mulieribus obesis inprimis accusat omentum *Hippocrates 5. aph. 46.* qvod illô uteri os comprimatur, unde mulieres priùs non concipiant qvàm extenuentur. Suffragantur huic opinioni innumeri alii autores, veluti inter istos *Avicenna* hanc qvoqve sterilitatis rationem reddit. De eadem sententia & aliis ejusmodi impedimentis fœcunditatis confer sis etiam *Hier. Mercurial: de decorat: c. 6. p. 19. & Joh. Jonstonum in Idea medic: universal: l.* 10. *p. m.* 664. qvi, veluti alii plures faciunt, omentum pariter dictâ ratione accusant. Verùm utrum non aliæ causæ in præpingvibus mulieribus magis accusari possint meditentur curiosi pathologiæ gnari. Non absurda eqvidem videtur historia communicata à *Dom. Panarol: in Pentecost: 3. obs. 10. p. 69.* qvod omentum crassum, durum ac ferè lapidosum in muliere qvapiam uterum premens, eidem sterilitatem intulerit. Qvod genitali arvo eqvarum non ita conferat sagina, constat etiam ex seqventibus verbis *Virgilii: Georg. lib. 3.*

Sæpe etiam cursu qvatiunt & sole fatigant,
Cum graviter tonsis gemit area frugibus & cùm
Surgentem ad Zephyrum paleæ jactantur inanes.
Hoc faciunt nimio ne luxu obtusior usus
Sit genitali arvo, & sulcos oblinet inertes:
Sed rapiat sitiens venerem, interiusqve recondat.

Spirituum verò pauperies, & moles abdominis (unde uterus non benè concipere, vel conceptus fœtus contineri atqve nutriri potest) officiunt maximè & infelices matres utplurimum efficiunt eas obesas. Dubium qvoqve non est, qvin ejusmodi mulieres etiam difficulter pariant, si conceperint: Sic de muliere obesa in hyeme difficulter pariente agit *Forestus l. 28. obs. med. 74. p. 755.* Indifferenter tamen pronuntiat *Velschius in curat. propr. decad. p. 469.* qvod obesæ difficulter concipiant &

 pa-

pariant. Addunt iterum aliud alii, licet tandem concipere & parere soleant talismodi mulieres, liberi tamen harum non sint vivaces ; cujus rationes præter jam dictas, forsitan non difficulter aliæ plures in medium proferri possent. Nota est qvoq; mihi mulier etiamnum vitâ gaudens, nec segnis existens ad actiones suas corporis atqve animi expediendas, qvæ qvia abdomine tumente & à partu primo, vel hæreditariâ traduce, aut aliâ causa contractô atqve adhuc persistente prædita est, hactenus ægrè peperit, & minus vivaces aliqvot liberos in lucem enixa est. Ut revertamur parumper ad sterilitatem paulò ante attactam, prostant eqvidem exempla de obesis qvibusdam, qvi liberorum exstiterunt parentes, qvod comprobat *Gabr: Fallopius l. c. pag. 329.* Exemplis paucis idem illud confirmant de viris obesis *Timæus à* Güldenklee *l. 2. obs. 6. p.* 263. *& Platerus l. a. p.* 548. Verùm de eo qvod fit plurimùm, canon ille medicus, & de exsuperante qvidem, nec mediocri obesitate loqvitur, qvòd eadem sterilitatem inferat ; & qvidem hoc iterum citius credendum de mulieribus qvàm maribus. Ex qvibus dictis seqvens qvæstio qvadantenus etiam decidi posset : disqvirit autem *Paul: Zachias* (*in qvæst. Med. Legal: tom: I. lib. 3. tit.* 1. *qvæst: 6. p.* 234. *&* 435.) de obesitate impotentiam conjugalem causante, & arbitratur matrimonium non esse dissolvendum si alterutra persona conjugum solùm obesa sit. Singularem verò dissensum qvasi & mutua impedimenta statuunt autores intercedere inter pingvedinem & facultatem ac partes genitales. Sic *Marchetti in Anat. p. 59.* annotat qvod testes inter alias partes paucas corporis pingvedine careant. De pene pingvedine pariter destitutô, alio in loco dissertationis nostræ agitur. Utrum ergò juxta *Marc. Malpighii in Epist: anat: p.* 106. *&* 107. sententiam mediantibus ductibus ad genitalia organa deferatur, atqve eadem semen constituat, admodùm ambigo. Si verè illud ita esset, sine dubio maximè fœcundi forent obesi, utpote qvos materia illa pingvis, pro augendo semine, non destituit.

Qvod juxta memorata incomoda etiam obesi ægrè ferant famem, colligi potest ex seqventibus. *Schach Saadi* in Persianischen

ſchen Roſenthale (*ex Olearii interpretatione edit:*) *l. 3. hiſtor. 9.* ſcribit: qvòd duo Monachi, & alter qvidem craſsô vel obeſô, alter verò macilentô corpore præditus, in carcerem conjecti nihil cibi impetraverint intra qvatuordecim dies, qvô tempore abſolutô prior mortuus, poſterior verò vivus ſuperſtes repertus fuerit: cujus inopinati ac diverſi eventûs cauſam reddiderunt poſtea, qvòd poſterior adſveverit antea jejuniis, cùm alternis diebus ſemel ſolùm cibum aſſumſerit; obeſus prior verò qvotidiè ter conſveverit ſe cibis replere.

Deinde obeſos etiam non ita frigore affici dicunt qvidam, prætendentes pingvedinem munire internas partes, ne frigus adeò in corpus penetrare illudqve lædere poſſit. Verùm alii contrarium potius tuentur, indicantes pingvedinem deſtitutam eſſe pene vaſis ſangviferis, atqve ideò ſimul caloris focô vel fonte, unde citiùs frigus perſentiſcant obeſi: Frigidioris autem eſſe naturæ illos qvam graciles, & eos qvidem citiùs, qvi à nativitate obeſi exiſtant, qvàm qvi aſcititiâ abundent pingvedine, ſtatuit *Paul: Zachias l. a. tom. 1. l. 5. tit. 2. qvæſt. 12. p.* 403. Qvi plura de pingvedine reſcire deſiderat, qvomodo ſcilicet eam velint qvidam à frigore concreſcere, frigidam eſſe partem, & à frigore tueri obeſos, adeat *Fr. Valleſium in controverſ: med: l. 1. c.* 10. *p.* 33. *&c.*

Præterea monet *Hippocrates 4. Aph:* 7. qvòd carnoſi non ita ferant vomitoria, de qvo qvi plura indagare cupit, conſulat eos, qvi in dictum locum commentati ſunt.

Dehinc qvod dentitionem difficilem experiantur pueri obeſi, inprimis verò ſi alvus eorundem ſit adſtricta, percrebeſcit effatô *Hippocratis 3. Aph. 25.* In qvem locum videri poteſt *Schizius Exercit. Patholog. tom. I. p.* 198. *&c.* & qvi in ſpecie iterum aphoriſmum dictum notis illuſtrant. Recordor etiam puerúli obeſi, qvi non ita diu abhinc convulſiones patiebatur, dum dentitione laborabat. Inſerimus his porrò, quòd de corpulentis refert *Iſaac Schoockius in problem: hiſtor: medic: 18. p.* 17. qvòd in infantum & virorum corpulentorum mammis lac obſervaverit.

Sed nondum omnium calamitatum in obeſis obviarum

finem attigimus, cùm *Rhazes tract. 4. c. 19, f. 91.* inter ægritudines obesis familiares recenseat etiam mortem subitaneam & venarum ruptionem. Postremo illi malo obnoxios itidem eos pronuntiat *Cachetus in controvers: theoric: pract: ad sect: I. Aphor: Hippocr: p. 214.* Vasorum sangviferorum hæc apertio verò vitæ vim aut finem facilè & inadvertenter sæpe inferre potest; si in cavitate abdominis aut thoracis dicta vasa rupta sangvinem (qui vitæ est pabulum ac vehiculum) eructet. Atque sic ejusmodi mors subitanea in iis æque ac aliis oriunda, falsò subinde in Apoplexiam, venenum in perniciem clanculum mistum ac datum, aliamve causam deleteriam refertur; sicuti errorem ejusmodi funerum sectio post mortem interdum detexit.

Qvod insimul obesos apoplexia facilè obruat & perimat, multi perhibent: Sic de nobili qvapiam à pleniori suo corporis habitu subito apoplexiâ è vita sublatâ, observationem suppeditat *Timæus l. 6. cas. 2. p. 262.* Exempla plura de eo inferius, circa nicotianæ usum attingendum, occurrent.

Hactenus enumeratis addunt etiam qvidam hoc, quòd in peste magis periclitentur obesi ob transpirationem cohibitam porosque à pingvedine occlusos, unde atomi pestilentes salino-volatiles acres facillimè fermentationem excitare qveant; atqve ideò fæmellas majori quàm mares periculo esse expositas, statuit *Herm: Grubius de medicam: simpl: cognosc: p. 52.* A quo non admodum abludit *Laur: Gieselerus de Peste Brunsvic: obs. 97.* Attestatur etiam *Celsus 2. 1. fol.* 11. quod obesi plerumqve acutis morbis & difficultate spirandi strangulentur, subitòqve sæpe moriantur. Non abludit ab his *Mart: Rulandus de morb: Hungar: c. 2. p.* 21. quod corpora athletica febres malignas ac pestilentes facilè suscipiant. Movent hoc loco nos nonnulla, ut veri & firmi quid non satis colligere possimus ex modo recensitis; obesitas quippe ad cachexiam ferè accedere videtur, sicuti etiam abit quandoqve ejusmodi status in hydropem: morbos hos autem à febre ardente & peste cum ætiologia addita immunes pronuntiat *Thom: Jordanus de pestis phænom: tr: 2, cap. 6. p.* 328. Sic evnuchos etiam (qui citiùs aliàs pingvescere dicuntur) à venenis non ita lædi qvàm alias memorat *Libavius in singular: l. 1. p. 342.* Sed conciliari forsitan

hæ ſententiæ poſſunt, quòd obeſos & cachecticos non ita prompte quidem invadat peſtis, à concepto verò contagio iidem ægriùs poſtmodum liberentur atqve curentur.

Præterea diſcimus ex *Plinii* 11. *c.* 37. qvòd pingvia corpora faciliùs & citiùs ſeneſcant. Eadem hæc etiam eſt ſententia *Ariſtotelis l. 2. de part: animal: c. 5.* Aſſerti hujus rationem aliqvalem reddit *Laur: Gieſelerus l. a.*

Veluti *Cous* noſter 2. *Aph:* 44. inculcat, ii etiam, qui naturâ ſunt valde craſſi, citiùs moriuntur; Cui ſententiæ innumeri autores alii aſſentiuntur. In præcedentibus equidem de Dionyſio adductum fuit, quòd vitam ad 55. annos perduxerit, verùm raro illud obſervari comperiemus, ſi ratiocinia & hiſtorias de obeſorum conditione conſignatas conſulimus. Rectè proinde ſcribit *Ann: Seneca in œdipo v. 909.*

Qvicqvid exceſſit modum,
Pendet inſtabili loco.

Qvod iterum *Hippocrates* noſter monet circa athleticum habitum 1. *Aph.* 3. Autorum commentaria in hunc locum nobis huc transſcribere non libet, nec licet, quæ evoluta facilè rationem illius ſuggerent, ſi qvis deſiderio iſtius tenetur. Parum forſitan etiam levaminis vel ſolatii hîc aufferent illi, qui non ab ortu exiſtunt obeſi, quòd ſcilicet non æqve ac ii, qui à nativitate ſtatim contrahunt obeſitatem, ad ſubitam vitæ finem pertingant, veluti qvidem hæc nonnullorum eſt ſententia. De hac materia, quòd ſcilicet non omnes obeſi indifferenter ſint βραχύβιοι ſtatuendi, conſuli poſſunt *Paul. Zachias in qvæſt: med. legal. tom. 1. l. 5. tit. 2. qv: 12. p 399.* & *Mercurial: de decor: c. 6. p. 29.* Variæ interim cauſæ ex dictis locis hauriri poſſunt, cur brevior obeſorum vita eſſe credatur. Non ineptè de hâc re diſſerit ingenioſus *Harsdorfferus* in Luſt und Lehr Geſchichten *cent.* 2 *num.* 150. *p.* 178. dum ad quæſtionem, cur pingves in juventute exiſtentes, non ad ſenium pertingant, reſpondet: qvia ſcilicet venæ illorum exiles exiſtentes à mole carnis & pingvedinis comprimuntur, hinc ſpiritus ſufficienti & ſpatioſô locô excluſi, ſeſe non ſatis exſerere vel diffundere, & naturalis calor mediante aëris inſpiratione itidem ſe legitimè expandere non poſſunt; unde ſpiritus, æquè ac lucernæ vel

flammæ, ab aëre interceptô vel denegato extingvuntur. Plura de vitæ brevitate obeſorum colligere licet ex *Zeileri cent. 5. Epiſt. 60. Mercurialis Prælect: Piſanis p. 27 & 179 uti & Melch. Sebizii ac Hammereri diſputatione exhibente problemata qvædam anatomica (qvæſt. 18.) edit: Argentorati* 1664.

Deniqve ut finem faciamus recenſendorum ſymptomatum & malorum, qvibus obeſos hactenus vidimus obnoxios, finem omnium malorum adhuc attingemus, ſcilicet mortem & qvidem ſubitaneam ſæpe, cui utplurimùm nimis obeſi parere tenentur. Facilè verò iidem ſuffocari poſſunt: Sangvinis enim circulatio & reſpiratio non ritè ſuccedit in iis, ob cauſas in præcedentibus adductas; hinc ſi duobus his negotiis præcipuis in corpore læſis, alia nova remora aut cauſa vehemens accedit, ſuffocatio vel vaſorum ruptio illiusqve pediſſequa mors è veſtigio ſeqvitur. Exempla de obeſis, qvorum vitæ flammam & uſum extinxit ſagina, (præter ea, qvæ reliqvis in locis noſtræ diſſertationis continentur) conſignata proſtant apud *Theod: Kerkringium in Spicileg. Anat: 66. p.* 134. *Timæum l. 6. caſ: 2. p.* 262. & 263. *Bonetum in anat: pract: p.* 699. & 710. *Joh. Cunr: Dieterich: in Jatræo Hippocr: p.* 944. & 945. *Joh: Schenckium in obſ. med: l. 2. p.* 218. *Joh: And: Grabam de cervo cap. 28. p.* 295. *Marcell: Malpighium in Epiſtol: Anatom: p. 106.* aliosqve plures.

CAPUT V.

De Pathologicis.

PRiusqvam nos accingamus ad cauſas, ſigna & reliqva pathologiæ attributa, præmittemus hoc loco nonnulla de iis, qvi, & qvando qvidam, uti & loco, in qvo homines in obeſitatem magis proni ſint. Benè autem de his ſeqventi modô loqvitur *Theod: Zwingerus in Phyſiolog. Med: cap. 5. p.* 729. Subjectum pingvedinis, inqvit, eſt homo ſecundum totum & ſecundum partes. Secundum totum qvidem, qvatenus eſt tum in utero: Sic embryo pingveſcit magis & minùs, pro Matris ſuâqve temperie; tùm extra uterum; qvo-

ad

ad ætatem qvidem, ſic pueri magis, qvàm juvenes; hi minùs qvàm conſiſtentes; hi plus qvam ſenes, propter caloris & materiæ diverſitatem. Qvoad ſexum, ſic mulieres magis qvàm viri. Qvoad regionem, ſeptentrionales magis qvàm auſtrales. Qvoad tempus anni, hyeme magis qvàm æſtate. Secundum partes autem, ſic aliis multa, aliis pauca, aliis nulla pingvedo data naturæ providentiâ ad certum uſum, hactenus *Zwingerus*. Nobis non licet prolixiùs in ætiologiam dictorum inqvirere, veluti horum ratio varia reddi poſſet, niſi limites in diſſertationis prolixitate majori tranſcendere vellemus. Interim cui plura arrident de his, cur mulieres magis obeſitatem contrahant qvàm viri, ventilat qvæſtionem, & præter *Galeni* ſententiam, ſuam addit *Mercurialis l. c. 26.* Ibi inſimul autor rationem reddit, cur pueri pingviores viris ſoleant exiſtere. Probat itidem *Jul. Cæſar Baricellus in hort: geniali p.* 214. qvòd mulieres communiter viris pingviores ſint. In cutis denſitatem cauſam illam conjicit *Petr:. à Caſtro in Chiliad. Aphor: poſt: cent: 10. p.* 292. §. 163. & 164. Addatur etiam *ibidem ex cent: 5. §. 5. p* 72. Ventilat etiam qvæſtionem ſeqventem *Pictorius cent. 1. qvæſtion: Phyſic:* 36. Cur mulieres infernâ ex parte craſſiores, & in viris ſuperna ſit craſſior. Si qvid demum in compendiô de hactenus adductis dicendum eſt, omnia illa adminicula obeſitatis in eo conſiſtunt, ut ros uterqve nutritius, ſcilicet purpureus & albicans in blandâ & temperatâ nec nimis craſsâ vel acri, tenui aut fluxili materiâ conſiſtat; cui negotio etiam inſervit hæreditaria & naturalis diſpoſitio, qvies, otium, abſtinentia à venere, curis & ſtudiis, item tranqvillitas animi, frigidior tempeſtas & locus, uti & excretionum interſtitium. Atqve hæc media in alia atqve alia ætate, ſexu & loco citiùs concurrunt & obeſitatem procurant.

Veluti ante indicavimus habitum noſtrum corporis auctum conſtituunt muſculi, & pingvedo inprimis iis incumbens & interjecta; qvandoqve etiam aliorum viſcerum pingvedo aut adeps itidem aucta accumulat dictum noſtrum habitum. Proximam verò cauſam efficientem obeſitatis conſtituit facultas illa vel digeſtio ſpecifica pingvedini vel adipi cujusqve loci

corporis destinata: qvatenus scilicet ad panniculum carnosum vel tunicam adiposam, juxta quosdam, aut membranas reticulatas, texturas fibrosas aut sacculos (veluti autoribus ejusmodi synonima usitata sunt) ros nutritius accedens ibi in arvinam, spongiosam illam substantiam, aut adipem luxuriantem abit & convertitur. Qvi chymicis misturis aut demonstrationibus mediante acidô institutis dilucidare conantur pingvedinis genesin, faciunt qvod possunt, id est simile quoddam tradunt; cujusmodi præceptis vel dictis tamen natura non semper pro nutu & voluntate nostra se accommodat. *Sylvii* aliorumq; sententias & sectas vel opiniones circa generationem pingvedinis solicitas supersedemus prolixô sermone proseqvi, cùm illæ vix sufficiant curioso scrutatori causam pingvedinis variæ accuratiùs inqvirenti. Qvi succum nutritium nervorum pingvedinem constituere statuunt, hi suos adversarios jam ante nacti sunt, & nondum forsitan sufficienter, probarunt. Plurium autorum priscorum mens est, qvod pingvedo confiat ex selecta materia pingvi, oleosa, vel chylosa sangvinis, & quod casu quasi concrescat à frigore. Verùm *Fr. Vallesius in controv. med: phil. l. 1. c. 10. p. 33.* non solâ concretione, sed nutritione generari scribit pingvedinem. Hallucinantur admodum autores quidam circa modum generationis atqve usum vel officium pingvedinis occupati: errant quippe omninò ii, qui qvalitatibus primis clavô autoritatis priscæ affixi pingvedinis causam modò in frigus, modò in calorem conjiciunt. Paucis objicio iis: cur cordis, renum, arteriarum, aliorumve viscerum calor permittat concretionem adipis aut pingvedinis; aut cur frigus extimarum partium non obsit arvinæ. *Helmontius in Jure duumviratus* §. 59. stomachi digestionem gubernatricem in conficienda pingvedine causam primariam declarat; verùm nec hæc, nec hepar, nec alimenta laudabilia tanquam remotæ causæ vel adminicula, sufficiunt in hoc negotio, nisi peculiaris illa vis pingvedini elaborandæ à naturâ destinata annuat. Sic observamus pingvedinem vel adipem qvandoqve luxuriare solùm in quapiam parte, nec universo corpore, veluti similia exempla de his in præcedentibus dedi.

dedimus. Si consideramus tot distinctas partes & humores corporis formâ, colore, constitutione, functione, sapore aliisq; pluribus proprietatibus diversis præditos, qui tamen communi nutritiâ materiâ è fonte sangvineo haustâ nutriuntur ac perpetuitatem suam nanciscuntur: haut difficulter etiam inde colligi vel admitti poterit varia atque distincta pingvedo vel adeps oculis, renibus, cordi, omento, tunicæ adiposæ aliisve partibus concessa. Probat hoc itidem pingvedini & sangvini interdum analoga medulla ossium varia. Imò quælibet animalia ferè diversa pingvedine prædita deprehendimus, veluti non obscurè id patet in lardo suum, sevo ovium, quod ipsis est loco pingvedinis; sic alia quadrupedia etiam dictis iis animalibus non omninò similem possident pingvedinem. Discrepat itidem inter se pingvedo avium, piscium & reptilium; ubi insimul deliberandi ansam relinquimus, utrum *Aristoteles* exsangvibus animantibus rectè adipem denegaverit. Dirimendam insimul relinquimus curiosis litem, quam contra nostram allatam sententiam *Thom. Bartholinus* (*in Anat. l.* 1. *c.* 3. *p.* 29. movet, utrum scilicet commentum sit forma peculiaris pingvifica pingvedinem conficiens; argumenta autoris dicti, quæ pro sua sententia adducit, hoc loco ventilare supersedemus. Præterea, si credere licet, quòd glandulæ suum officium conferant pro varia pingvedine elaboranda, eò citiùs diversitatem pingvedinis variæ in corpore reperiendæ à priori colligere poterimus: quòd verò glandulæ modò majores, modò minores pingvedini sæpe interfertæ reperiantur, oculis crebrò usurpamus. Nisi itaque glandulæ dictæ vasis lymphaticis destinatæ sint, non absurdè forsitan suspicari licebit, quòd ad materiam pinguedinis eædem aliquid conferant. Videri potest in hanc rem, quæ ex *Cæcilio Folio* tradit *Marcell: Malpighius in Epist: Anatom: p.* 90. *&c.* ubi inter alia etiam displicet *Malpighio* illorum opinio, qui à nervis materiam pingvedinis oriri statuunt. Quas verò ulterius fovet & communicat opiniones autor dictus in peculiari illa exercitatione, vel Epistola citata (de omento, pingvedine & adiposis ductibus) quòd scilicet fibrosa corpora vel vasa peculiaria in omento vel alia-

rum partium pingvedine, portionem fluidæ pingvedinis contineant, & eructent in alia loca vel partes, suo loco relinqvimus; cùm forsitan sufficienter vasa eadem earumqve actio dicta demonstrari non possit; veluti autor ipsemet suas conjecturas nemini pro indubitatis tradit aut obtrudit. Nolumus porrò prolixitati inhiare atqve autorum sententias hoc loco recensere de variæ pingvedinis in corpore existentis usu atqve fine, quem itidem varium censent ac recensent iidem. Benè disqvirit de hac materia & irritum usum à quibusdam autoribus pingvedini variæ assignatum ostendit laudatus *Malpighius l. c. p.* 98. *&c.* Ut pauca adhuc hisce addamus circa generationem vel materiam pingvedinis, ansam nobis præbet *Helmont. in tr: de Retentis f. m.* 381. In axungia, inqvit, non sola duntaxat pingvedo nascitur, sed simul fibræ sive favi ejus, qvi de sorte solidorum sunt. Indicat etiam ibi autor, qvòd qvædam partes non desinant crescere, veluti hoc exemplis qvibusdam & pingvedine fibrisqve ipsius non obscurè confirmat; verùm videtur meta cuiq; creaturæ posita, qvam non facilè naturaliter transscendit, licet augeantur multiplicentut vel luxurient qvadantenus fibræ pingvedinis. Modò dictæ huic sententiæ suffragatur etiam sententiæ huic, non satis fortè memor prioris suæ *Helmont: in ignot: action: regim:* §. 15. Similiter, qvòd non in immensum crescat pingvedo, sed determinatam habeat magnitudinem tum in naturali, tum in præternaturali statu, adstruit *Alb: Kyperus in Anthropolog: l.* 1. *c.* 6. §. 17. unde iis etiam obloqvitur, qvi impugnant assertum illud; atqve ideò pingvedinem ex numero partium expungere conantur. Cæterum idem illud de hac materia, quòd homines & animalia qvantitatis atqve figuræ certô terminô prædita sint, statuit *Christ: Cachetus in controv: theoret: practic: in I. Sect: Aphor: Hippocrat: p.* 122. *&c.*

Progredimur ulteriùs ad causas remotas pingvedinem constituentes, atqve inter has se sistit nobis proximè temperatus sangvis & ros nutritius pingvibus ac blandis particulis fœtus, nec admodum salinis acribus & tenuibus corpusculis commixtus; veluti in scorbuto, atrophia varia & hectica dissol-

vitur ob ejusmodi causas materia nutritioni destinata & variô evacuationis modò è corpore expellitur ; proinde etiam pingvifica facultas impeditur & feriari tenetur. Nota est communis veterum sententia, qvod vitium primæ & secundæ concoctionis non corrigatur in tertia ; videlicet, quando oris atq; ventriculi culpâ cibi non ritè comminuuntur, inqve chylum inculpabilem convertuntur ; porrò, quando reliqva viscera mistioni sangvinis destinata suppetias suas non conferunt, aut legitimos humores elaborant, & organa depurandi sangvinis atqve excretioni humorum destinata, officio suo non satisfaciunt, quando inqvam hi defectus in œconomia corporis occurrunt, subseqvens tertia concoctio vix melior expectanda est, atqve sic canon ille medicus vix etiam impugnari potest. Nexum hunc verò à priscis usu receptum non agnoscit *Laur: Gieselerus de Peste Brunsv. obs. 46.* Tertiæ enim coctioni corporis suam peculiarem rem publicam, negotium & actiones tribuit ; utpote à qua sola externi habitus constitutio bona vel sinistra dependeat. Probat etiam hoc autor exemplo scabiei, quæ reliqvis partibus, vel illarum coctionibus integris existentibus tamen occupet externas partes. Demonstrare illud porrò nititur autor, quòd oves sæpe præpingves sint & ἔυσαρκοι, quarum hepar tamen siccum, hydatibus & calculis refertum visatur. Sed hæc forsitan conciliationem admittunt, nec indifferenter accipienda sunt, ac si partes reliqvæ, quomodocunqve constitutæ sint, nihil ad tertiam priscorum coctionem conferant ; aut vicissim tertia coctio malè constituta, propter circulationem sangvinis reliqvis coctionibus nihil damni inferat ; qvæ prolixitatis fugiendæ gratia jam penitiùs examinare supersedemus. Qui itaqve cibos bonos benè ingerit, digerit & egerit, & cujus nutritio non impeditur in actu, non potest non etiam conseqvi ex his causis & adminiculis effectum, scilicet corpulentiam carnosam atqve pingvem ; qvamvis etiam fundamenta alia, scilicet hæreditaria dispositio & similia sæpe reqvirantur. Interim tamen cibi boni & abundantes obesitati inprimis inserviunt, cum à vento vix popam veram qvis contrahat, de qvibus brevi plura occurrent. Qvòd

 ob-

obſonia verò & lautus cibi ac potûs apparatus conferant dictæ corpulentiæ, Germani non obſcurè indicant ventre prominente vel popâ qvæſtoris, aut ærarii vel redituum præfecti; quorum habitus corporis conſpicuus communiter præſupponit ejusmodi adminicula dicta. Sic obſonia & varia electa eſculenta à ruſticis miſeris ac plebejis ſubditis hoſtiarum loco ſtudiosè conqviſita, corraſa & dictis illis præfectis deſtinata, gulæqve ac popæ illorum inſervientia nomen ſortiuntur ab iisdem, vel horum miniſtris, apparitoribus aut lictoribus: veluti majores cancri, gobiones, fructus electi &c. nomen illorum referunt, quòd ipſis δωροφάγοις offerendi ſint, pro clementia illorum conſervanda.

Anteqvam nos ad cibos & plura diætæ, pro obeſitate facientia media recenſenda conferamus, his priora vel generalia adminicula qvæpiam præmittemus.

Videtur autem omninò hæreditariâ traduce non rarò in poſteros derivari obeſitas, qvæ poſtea facilè emergit, niſi intercipiatur à variis cauſis obeſitati obſtantibus. Inculcant verò id ferè de parentum dote apud *Horatium lib. 4. ode 4. v. 29. &c.* legenda verba:

Fortes creantur fortibus & bonis,
Eſt juvencis, eſt in eqvis patrum
Virtus: nec imbellem feroces
Progenerant aqvilæ columbam.

Corn: Tacitus id quoqve docet his verbis: robora parentum liberi referunt. Confirmat hoc pariter *Mercurialis de decorat: c. 6. p. 26.* quod ad obeſitatem conferat paterna diſpoſitio, cùm ex pingvibus parentibus oriantur pingves filii. De Meſtiæis ventrioſis à Patre Luſitano & matre Inda in India natis, in præcedentibus fecimus mentionem. *Chriſtoph: Beſoldus in hiſtor: Conſtantinop: p. 1290.* de Mahumete III. ita loquitur: Is patre & avô ventricoſis prognatus erat, & per voluptates ampliùs ſolutô abdomine vix ſe locô movere poterat. *Paræus hiſtor: Profan: Medull: f. 1139.* hactenus *Beſoldus.* Sine dubio etiam in noſtra *Germania* multi robuſti homines olim exſtiterunt, qui ad gigantum proceritatem & ſtaturam propinqviùs acceſſerunt.

Cur hodie verò deperdita ſit illa, indagatione non indigna res videtur. Monumenta verò varia non procul à Numburgo diſtantia, & nomen à gigantibus communi plebejorum appellatione gerentia ſubinnuunt ferè, uti & alia documenta, quòd priſci Germani longè robuſtiores, quàm, nos jam exſtiterint. Idem hoc multiplici *Taciti* aliorumqve autorum fundamentis ac teſtimoniis comprobat *Herm: Conring: de habitu corporum Germanor: p. 4. &c.* Varia quoqve de hac materia, cur contractior hodie magnitudo Germanorum aliorumqve populorum ſit, ſuppeditat autor citatus *p. 24. &c.* Applaudo inſimul laudati *Conringii* ſententiæ, quòd habitus corporum Germanorum non adeò à Cœli, Mundi vel naturæ ſenio, quàm connubio exterarum gentium aliarumqve rerum adminiculô, ſcilicet novis ac variis cibis, laboribus majoribus, avaritiâ, venere maturâ & crebrâ, &c. immutatus & ſimul alia nova in Germaniam inducta ſint; quæ poſtea quaſi in hæreditatem venerint, de qua hæreditaria dote plura innoteſcunt ex *l. a. p.* 30. 96. 99. aliisqve ex locis pluribus. Accuſato illi connubio addimus etiam hæc, qvod forſitan poſt commiſtionem Germanorum cum aliis populis factam, illis arriſerint inter nova varia à populis illis allata minor corporis ſtatura, quâ Germani delectantes inter alia ſuæ ſtaturæ majoris pertæſi, commodiorem illam propter varias cauſas duxerunt; unde poſtea imaginationis atqve generationis ope ejusmodi ſeminalis idea à parentibus concepta & in actum deducta, nec non deinde porro ad poſteros diducta fuit; veluti hoc non injucundis aliis autorum locis ac demonſtrationibus conformibus confirmare & amplificare valeremus, niſi prolixitatem loco huic minus congruam declinaremus. Interim tamen negandum non eſt, quòd pariter cœli, aëris, & loci commoda conditio, uti & pabuli abundantia non parum conferat ad augmenta & incrementa corporum, veluti rationem hanc inter alia eſſe ſuſpicor, quòd in Sina aliisqve locis orientalibus magis vaſta bruta reperiantur, quàm in noſtris regionibus; utpote quæ adminiculis dictis deſtitutæ ſunt. Ut paucula adhuc ſubnectamus hæreditariæ obeſitati, adducemus huc locum *Helmontii in*

Jure Duumviratus §. 59. ſuam autem ſententiam illic adſtruere conatur, quòd ventriculus plurimùm conferat obeſitati, idqve probat exemplô Capucini longô jejuniô gravati, potuqve paucô & parvæ cereviſiæ ſaturati, craſsô tamen corporis habitu dotati ; addit etiam autor illic, qvòd edaces qvidam lautôqve mangoniô educati inſigniter macilenti exiſtant. Jejunia verò monachorum ſæpe jejunam fidem merentur apud multos; cùm ventô vix ſaginam illi & alii contrahant ; forſitan etiam propter vitam ſedentariam & curis vacuam, veneriſqve parcum uſum qvidam inter illos pingveſcunt citiùs præ aliis. Exemplum hoc *Helmontii* verò meliori jure forſitan pro noſtra ſententia allegare poterimus, qvòd hæreditaria diſpoſitio magis in obeſitatem propendeat, eamqve promoveat, qvàm ciborum affluxus aut voracitas. Sic canis venaticus non æqve ac moloſſus ſaginatur, licet utriqve nonnunqvam voracitate inter ſe concertent de victoria. Hinc locum qvadantenus inveniunt hîc verba *Virgilii in Eclog. 3. v.* 100.

Eheu qvàm pingvi macer eſt mihi taurus in arvo.

Innuunt quoqve nonnulli qvòd aſtra ſuum auxilium conferant ad obeſorum ſaginam, idqve imprimis fieri volunt Jove in prima domo junctô ſoli ; è contrario verò eos in tabem & marcorem magnopere inclinare, qvi nati ſint, ſub ſolis & martis conjunctione. *Auguſt. Etzlerus in Iſagog: phyſ: mag: med: c. 7. p.* 159. ita in hanc rem loqvitur : Animantia lunatica, inqvit, plerumqve fiunt inepta & tarda ratione elementi aqvæ, ex qvo deſumpta (ſicut & homines lunatici ſunt inepti, loca amant humidiora, citoqve excreſcunt in juſtam magnitudinem ob lunam humoris dominam) ſuntqve fœcundiſſima ; luna enim fœcunditatis præſes eſt. Indicat etiam ibidem paulò poſt autor homines lunaticos catarrhoſos eſſe, & qui lunam in ſexta habeant perpetuô catarrhô pectus occupante laborare. Autor *l. a. p.* 160. porrò ſcribit, qvòd lunatica animalia, ſcilicet anſeres, anates &c. citò excreſcant, ac ſues citò pingveſcant, nec non multiparæ ſint, veluti luna etiam fœcunditatis domina & parturientibus olim præfecta Lucina dicta fuerit. Verùm autor citatus, licet fœcunditatem de dictis animalibus,

& cuniculis inprimis, tanqvam lunaticis deprædicet, illic tamen insimul dicit lunaticas aves difficulter & longiori temporis spatiô pullos suos excludere, quòd in ansere appareat; qvæ avis lunatica longiori tempore incubandi opus habeat, qvàm gallina vel columba. Verùm posteriora hæc autoris non ita cum prioribus concordare videntur regulâ universali: cum galli & gallinæ, aliæqve plures aves solares, *Etzleri* aliorumq; effato tales existentes, in venerem magnoperè sint pronæ, ac ova multa, & qvidem qvovis fere tempore, inprimis verò veris vel æstatis tempore, & in locis calidis pariant. *Abd: Trewni Astrolog: med: disput*: 4. §. 13 statuit, quòd Saturnus, quæ coagulanda sunt, coagulet, atqve membra solidiora in sua natura confirmet. Et hinc esse videtur, ceu pergit, quòd infantes qvidam brevis vitæ paulò ante obitum citiùs solito crescant, uti qvidã crassescere soleant, ad somnum proniores sint, appetitum etiam cibi, qvem melancholico humori tribuunt, vehementiorem habeant. *Francisc: Junctinus in Comment: in Ptol. de Astror: judiciis p.* 252. inqvit: cùm Mars super Saturnum fuerit elevatus, vel ècontra, natus erit fortis & pingvis. *Hermes Aph.* 60. Almuten nativitatis si fuerit inventus in cinctura firmamenti (i. e. Eccliptica) natus erit macer: si verò latitudinem habuerit, pingvis erit & secundum latitudinem ejus judicabis; si septentrionalis, erit, ponderosus. *Ptolomæus lib. 3. cap. XI.* ubi de forma & figura corporis nati, ac de ipsius complexione agitur, seqventia habet: Sol adjuvat (nimirum aliqvos Planetas) in figura & formositate ac in corporis pingvedine. Luna verò generaliter parat in temperie & macie vel humiditate. Plurium locorum recensioni parcimus hoc loco; nec de dictis hisce certi qvid asseverare valemus, qvippe qvi destituimur experientiâ; ideò veritatem hujus rei curiosorum indagini committimus atqve commendamus.

Absolutis his tenemur etiam auscultare alios, qvi certis regionibus vel locis peculiarem vim obesitatis comparandæ tribuunt. *Melch: Sebizius & Respondens Gosky in disput: med: de marasmo sive marcore &c.* §. 179. obesa, inqviunt, corpora visuntur qvotidie, præsertim in regionibus septentrionalibus utroq;

in ſexu maſculino & fœminino. In illo qvidem magis carnoſa, qvia eſt calidior: in hoc verò pingvia magis, quia frigidior. A qvibus non abludit *Mercurialis l. a. cap. 6. p. 27. Sennertus in praxi l. 5. part: 1 c. 4. p. 23. ex Proſper: Alpini de Medic: Ægypt:* refert, quod hic Ægyptios & inprimis incolas Cayri obſervaverit præpingves, & tantô quidem numerô, qvantô nusqvam gentium viderit. *Hippocrates in libr: de aëre, aqva & locis* dicit Scythas etiam valde craſſos & pingves eſſe. De Germaniæ noſtræ priſcis incolis vaſtô corpore præditis paulò ante ex *Conringio citato loco* egimus. *Marcus Tullius de Fato* diſſerens, Athenis, inquit, tenue cœlum, ex quo etiam acutiores putantur Attici. craſſum Thebis; itaqve pingves Thebani & valentes; Qvi Bœoti cum eſſent, & in Græciæ propemodum umbilico ſedes haberent, craſſi tamen & pingves proverbio audiebant. Hactenus adducta verò proſtant in *Hiſpaniæ Bibliothecæ præfatione Andr: Schotti.* De Bœotiæ incolis & pecoribus craſſis ac pingvibus eorumqve ingenio ideò minus ſubtili varia loqvuntur proverbia; de quibus Adagiorum, Lexicorum, & Geographiarum autores evoluti, facilè qvemvis erudient. *Fallopius l. a. cap. 4. p. 330.* Apud Scythas, inqvit, in quibus vigent frigora, reperiuntur obeſa præter modum corpora. Indicat ferè obeſitatis adminicula (quæ in commeſſationibus immoderatis ac ſordida vita conſiſtere arbitror) proverbium *Ciceroni* uſitatum, quô dicitur: moribus Scythicis vivere, id eſt belluinis. Perbenè etiam atqve eleganter de Scytharum, Septentrionalium populorum aut Germanorum habitu procero ac robuſto hujusqve cauſis agit (affinitate atqve affectu ſingulari nobis noſtrisque ſtudiis addictus, & Celebris alioquin noſtræ Salanæ hiſtoricus ac Profeſſor, uti & jam Magnificus noſtræ Academiæ Rector) *D. D. Caſp. Sagittarius in Exercit: ad Juſtin. Hiſtorici libr: 2. cap. 1. §. 13. p. 10. &c. Jenæ impreſſ: 1675.* Addi etiam meretur laudatæ diſſertationi ſubſequens alia, in eandem rem faciens, *de Scythicis antiqvitatibus edita itidem Ienæ 1682.*

Seqvuntur jam cauſæ obeſitatis qvas diætæ adminicula ſubminiſtrant, & hæc bene complectitur ſeqventibus verbis *Celſus lib: 1. c. 2. n. 10*, quòd ſcilicet corpori augendo inſerviant;

modi-

modica exercitatio, frequentior quies, unctio, & si post prandium est, balneum, contracta alvus, modicum frigus hyeme, somnus plenus & non multum nimis longus, molle cubile, animi securitas, assumpta per cibos & potiones, maximè dulcia & pingvia, freqventior cibus & qvantum plenissimè potest digerere. Hæc itaqve & seqventia devitare potest, qvi obesitatem non amat aut appetit; veluti inter alia etiam *Joh: Bettus de ortu & natur: sangvin: p. 67.* memorat: qvòd Ægyptiacæ mulieres aggregent pingvedinem atqve sic se aggravent eâdem, dum utantur jusculis pingvibus, gallinis, oleô ex sesamo, nucibus indicis, avellanis, amygdalis dulcibus, &c: clysteribus item ex pingvedine ursi, & balneis. Si itaqve corporis constitutio rectè habet, nec salinis ac vitiosis qvalitatibus scatet, qvibus ros nutritius & legitima sangvinis & viscerum constitutio turbatur ac impeditur, subseqvitur deinde promptiùs etiam nutritio largior & obesitas; cui, uti jam ante etiam dictum fuit, viam sternunt cibi ac potus temperati blandi ac subpingves. Germanorum proverbium sonat in hanc rem; qvòd carnis usus in cibo carnem generet & efficiat; de qvo non omninò dubitandum est, si reliqva nutritionis adminicula non abnuant; alioqvin lauti ejusmodi cibi à famelico stomacho expetiti, semper obesitatem vel corpulentiam exsuperantē procurarent, qvòd tamen minùs contingit. De carne brutorum autem, qvòd citiùs carnem humanam generet, præsumtio qvadantenus fidem facit, siqvidem propinqviùs accedit ad substantiam illius, qvam legumina aut olera. Sic non displicet mihi monitum illud *Zwelfferi in Pharmac: Reg: p. 226.* qvi jusculorum carnis & ipsius carnis usum non ita approbat in morbis, scilicet febribus &c: qvi aliàs refectionis loco adeò commendatur, veluti die Krafft-Suppen & similia nota sunt. Statuit quippe *Zwelfferus*, qvòd usus eorum in ægrotis citiùs contagia & morbos concipiat, alat, vel promoveat, idq; secus à fructibus expectandū esse innuit: in symbola habentia enim, scilicet in carneos cibos vel sangvinem inde natum, facilem esse transitum affectionum humani corporis arbitratur. De variorum autem ciborum usu, cui prisci proceri ac robusti Germani indul-

G ferunt,

ferunt, certiores reddimur ex variis locis *Conringii de habit: corpor: German:* De lacte corpus non parum nutriente & augente, agit idem autor *l. c. p. 60. &c.* De carnium esu corporis augmento pariter inserviente, iterum loqvitur *Conringius l. d. p. 75.* Sic Helvetios montanos & agrestes victu simplicissimô utentes ac lacticiniis potissimùm gaudentes, corpore esse procerô & crassô, nec non longitudine sex pedum communiter attingere, alios verò non item, testatur *Joh: Jac: Wagnerus in histor: natural: Helvetiæ p. 145.* In populis his verò etiam attendenda est inqvilina, endemica aut hæreditaria proprietas.

Deinde comperimus qvòd olera qvæpiam, fructus & cibus vulgaris rusticorum ac plebejorum qvoqve non omni facultate nutriendi ac pingvefaciendi destitutus sit. Atqve illud rustici & plebeji robusti, validi & obesi suô exemplô probant ; qvibus tamen motus corporis modicus, atqve animi tranqvillitas loco panaceæ vel instar promi condi sanitatis est, qvibus si destituerentur illi, sine dubio propter victum suum vilem miserrimâ valetudine præditi forent. Adminiculis verò illis instructi rustici multos morbôs elidunt ac eludunt, bonumq; ac congruum sibi corporis habitum contrahunt & continuant. Simplex autem & nutriens ejusmodi cibus plebejis & rusticis meliùs in pingvedinem cedit, qvàm si lautioribus, & aromatibus aut condimentis, vel gulæ illecebris variis conditis cibis vescerentur ; qvibus citiùs indigere videntur ii, qvi vitæ sedentariæ dediti sunt, cùm alioqvin digestio ciborum, sangvificatio & circulatio sangvinis, spirituum item generatio vix ita succederent in iisdem, si victu plebejorum uterentur. *Joh: Matthæi in centur: difficult: medic: qvæstion. 7. p. 26.* inter alias caussas, cur homo non sicuti bestiæ pingvescat, prætendit varietatem ciborum. Ex diversis enim cibis, ac potu imprimis generoso, varii humorum motus & fermentationes inconcinnæ exsurgunt, chylus etiam inde oritur magis fluxilis, nec ita blandus & consistens unde sangvinis fibræ pariter suâ legitimâ firmitate orbantur, qvæ porrò neqveunt inservire musculorum augmento ac firmitati, nec habitum corporis pingvem vel carnosum procurare pollent. Si itaqve præter ejusmodi vilem

victum

victum inter plebejos adest simul hæreditaria dispositio, & vita vacua curis, laboribus nimiis, item venere crebrâ aliisq; similibus obesitati resistentibus adminiculis, non potest non inde obesitas exsurgere. Patet id inter alia etiam, qvod olera vel cibus & potus vulgaris valido corpori & vegeto colori vel pulchritudini nihil detrahat (nisi DEUS singulari ratione succurrerit illi actioni) ex *Danielis 1. v. 8. &c.* Præterea qvòd olera & fructus qvidam uti & legumina mitia blandiqve saporis existentia saginandis brutis, qvæ non sunt carnivora, magnoperè conducant, probatione non indiget. Mitis tamen vel dulcis, juxta medicum terminum, vel subdulcis, aut exigui saporis pabula vel cibi dicti validiùs nutriunt, qvàm eminenter sapida, qvæ magis evacuationibus variis inserviunt: veluti ideò non saccharum, mel, anisum, polypodium, radix sigilli Salomonis, glycyrrhiza atq; similia nutritioni atq; appetitui perseveranter congrua sunt. Volunt eqvidem quidam quòd amara etiam nutriant, & pingvedini non reluctentur; verùm proximam & veram causam nutritionis vix explent eadem, veluti etiam alia eminenter sapida, id minùs præstant; cum potius destruant blandum rorem nutritium geminum scilicet purpureum atqve album, eumqve ad evacuationes varias disponant. Remotè tandem ea, quæ sapore insigni prædita sunt, in certis subjectis remoras nutritionis eliminare atqve sic meliori proventui pingvedinis viam sternere possunt; qvemadmodum de absinthio videri potest Academiæ nostræ natur: curios: Præses Celeberrimus, *D. D. Joh. Mich: Fehrius de absinth. p. 166.* Amara verò aliàs incidere, abstergere, aperire & purgare, atqve sic minùs nutrire innotescit ex *l. a. p. 1. & 172.* De absinthii vi pingvefaciendi & destruendi bilem in Ponto agit etiam inter alios *Joh: Bruyerinus de re cibaria p. 47.* Disqvirit porrò *Sennertus in Prax: l. 6. part: 5. c. 13. p. 165.* an decoctum ligni Gvajaci, sarsaparillæ, sassafras, & rad: chinæ pingvefaciat. Accedimus proinde etiam sententiæ *Conringii,* quam de cerevisia fovet *l. a. p. 79.* qvòd scilicet lupulus in cerevisia detrimentum inferat nutritioni, vel non ita corporis habitum admittat, quàm alia cerevisia dulcis ex tritico & sine

 lupulo

lupulo parata; sed hujus cerevisiæ usui alia mala adjuncta sunt, scilicet difficilis respiratio, calculus &c: de qvo plura dabimus alio in loco. Sic amara varia aloëtica, colocynthis, centaurium minus & similia potius obesitatem destruunt & corpus expurgant, uti in therapevticis inferiùs docebimus.

Certò pariter respectu competit sali facultas pingvefaciendi, veluti illam de eodem statuit *Wendelinus de admirandis Nili cap: 23. & 24.* Hinc etiam á sale coactos esse Ægyptios sacerdotes abstinere indicat ibidem autor idem. Verùm forsitan ideò inter alia illud factum est, quòd sal invitaret ad bibendum imprimis, & uti alii addunt, etiam ad comedendum, de quo *Jac: Pontanus in Bellar: Attic: p. 695.* De potûs potestate impingvandi plura occurrent aliis in locis seqventibus nostræ dissertationis. In ancillam verò obesam (quæ forsitan pro imminuenda obesitate simul usa est sale) sales vel jocus non ineptus prostat in Poëtæ elegantis scilicet *Sabini Epigramm. p. 293.*

Ne caro præpingvis sale non condita putrescat,
Nostra vorat multum Phyllis obesa salis.
Hinc ne concipiat duros vesica lapillos,
Se liqvidô semper diluit illa merô.
Sic habet immodicô turgens abdomine causam,
Qvare perpetuò sistat alatq; sitim.

De simulata curatione à qvibusdam obesis ac bibulis in nicotianô usu quæsita, similem circulum vitiosum, ac de sale modò dictum fuit, depromemus inferiùs in therapevticis. Cæterùm in *Actis Anglicanis Anni 1666. p. 230.* annotatum prostat, quòd puella 13. annorum, quæ crebrô usu salis loco sacchari delectata fuit, marcorem & mortem sibi contraxerit.

Forsitan etiam ideò Sacerdotibus paulò ante memoratis imperârunt salis abstinentiam, ne ad venerem vel libidinem concitarentur. Qvòd verò sal fœcunditatis & salacitatis adminicula præbeat, non *Wendelinus* solùm l. a. sed & infiniti penè alii autores comprobant. In quam rem videri potest, si placet *Rulandus in problem: chym: 13. p. 34.* ubi autor prolixè ostendit, qvomodo salis usus pingvedinem imminuat, utrius-

qve sexus organa genitalia promptiora reddat, ipsisqve generandi potestatem conciliet. Non dissentitur ab hac sententia, salisqve efficacia modò dicta *Joh: Bapt: Porta in Mag: natur: l. 8. c. 8. p. 346 & 347.* Imò Germani etiam eò collimant suô qvasi proverbiô: quòd libidinosi indulgeant salis usui. *Jonstonus de admirandis fossilibus cap: 4.* docet, qvòd moderatô salis usu in condimentis adhibito obesæ mulieres fœcundæ reddantur. Omnia hæc tamen non indifferenter sine certo respectu ac circumstantiis præsuppositis vel observatis accipienda sunt, cùm salium usus creber pingvedinem infringere, & sterilitatem inferre videatur: veluti etiam de sale mos ille priscus certum in scopum collineat, quô dirutas urbes sale consperserunt, ut nota vel signum hoc esset perditionis, sterilitatis & minùs vegeti vel integri status. De eodem, quod sal per accidens potiùs pingvedinem efficiat, quàm per se, benè differit, nostræq; sententiæ, inter alias suas rationes, accedit *Mercurialis l. c. cap: 6. p. 28.* Eandem materiam ventilat etiam *Jul: Cæs: Claudinus de Ingressu ad infirmos l. 2. c. 27. p. 297.*

Similiter credo tandem antimonium modicè datum (qvatenus scilicet illud obstacula qvæpiam removet) ad impingvandum porcos & alias bestias utile esse, de quo *Joh: Nicol: Pechlinus de purgant: p. 58. & 313.* Casu autem observatum esse, quod ex antimonio porcis projecto isti purgati ac postea obesiores facti sint; qvi usus antimonii priùs monachis qvibusdam mortem intulit, id innotescit ex contentis *Decreti Facultatis Medicæ Parisiensis de antimonio* & hujus mentionem faciunt *Ephemerides Eruditor: Gallic: à Nitschio in Latinum versa tom: 2. p. 266.* Adi qvoqve sîs de his *Acta Anglicana Anni 1668. p. 293*

Par ratio est efficaciæ Hermodactylorum vel colchici nostratis radicum, quas Ægyptias mulieres ad pingvedinem comparandam largiter devorare ex *Alpini* relatione prodit laudatus *Pechlinus l. a. p. 298.* Utrum ergò in loco illo dictæ radices vi catharetica suâ, aliàs innata eâqve vehementi, destitutæ sint nos latet; veluti de qvibusdam venenatis aut purgantibus plantis, alicubi minùs talibus existentibus, differit idem au-

tor *l. c. p. 299. &c.* Valdopere interim ambigo, qvòd vera purgantia loco alimenti data humanæ naturæ, & nutritioni vel pingvedini colligendæ congrua esse qveant.

Nutrire itaque veriùs videntur in sano statu constitutum hominem ea, qvæ sangvini & nutriendis partibus analoga magis sunt, vel qvæ propinqviùs ad easdem accedunt; unde caro & alii cibi εὔχυμοι & εὔπεπτοι dicti optimè scopo huic inserviunt.

De athletarum priscorum verò habitu, tanqvam non ignoto, non opus videtur ut multa disqviramus. De victu horum ergò solùm adhuc pauca hactenus præmissis annectemus, qvò illum declinare possint, qvibus minùs est volupe adipem vel popam sibi creare. Vescebantur autem olim athletæ carne suillâ & bubulâ; hinc *Diogenes Cynicus* rogatus, cur athletæ nihil sentirent, respondit: qvia suillis & bubulis carnibus exstructi essent, teste *Laërtiô lib: 6. p.* 341. Pane quoqve recenti cum caseô admixto vescebantur iidem athletæ. Ideoque apud *Theocritum Idill: 4. v. 34.* qveritur *Corydon* quòd athleta *Ægon* unicâ vice 80. placentas comederit, de quo adi & audi *Heinsium Exrecit: sacr: lib: 6. c. 6. p. 365.* Non ultimum ergò studium athletarum constitit in repletione corporis; veluti etiam victum athleticum *Aristoteles in Politicis ἀναγκοφαγίαν* appellat, de qvo & aliis qvibusdam Athletarum adjunctis *Jac: Pontanus in bell: Attic: lib: 1, Syntagm: 4. p. 158.* Panes athletarum dicti fuerunt Coliphia ἀπὸ τῦ κῶλυ καὶ τῦ ἶφι, id est, robore membrorum, vel confortatione artuum, uti *Gesnerus in Lexico* & alii autores subinnuunt. De dicto panis genere loqvuntur *Juvenalis sat: 1. v. 53. & Plautus in Persa Act: 1. scen: 3. v. 12.* In locum attactum *Juvenalis* commentatur *Eilh: Lubinus p.* 106. ita: Colliphia erant athletarum cibi. *Plautus*: Colliphia nemini incocta detis: erant panes in similitudinem membri virilis. Ante pythagoram ficis utebantur. Post illum azymô pane asso & carnibus taurorum. Tandem qvòd luxui & crapulæ dediti quidam obesi soleant esse colligimus ex *Sperling: Zoolog: p. 396.* experientiam ipsam, consulat, qvi de hoc ulterius dubitat.

Non ultimo loco etiam ponendum esse potum mitem ac nu-

nutritioni non adversantem arbitror, quia pariter explet corporis partes varias; adeò ut plus ferè credam obesitati conferre potum quàm cibum. Vix etiam obesos deprehendes, qvi paucô potu contenti sunt. *Sebizius in disput: cit; §. 182.* de potu loqvitur ita: videmus etiam regiones septentrionales homines gignere proceros, crassos & corpulentos: idque ob cerevisiæ, quæ multum nutrit, potum & ob cibos crassiores, pingves & bene nutrientes &c. Panis etiam cerevisiâ ebrius dicitur aliàs pingvedini conferre, qvem fugere possunt, quibus odio aut oneri est obesitas. De potu pauca adhuc allegare nobis placet ex *Franc: Osw: Gremsii arbor: integ: & ruinos: l. 3. c. 1. §. 27. &c.* hic autem autor inter mala à cerevisia alba oriunda inprimis recenset frequentiorem hypochondriacum affectum, cachexiam, hydropem, apoplexiam, asthma, lepram, obesitatem & huic junctam brevitatem vitæ. Supersedemus quid commentari vel commonere in hunc locum, prolixitatis fugiendæ gratia; vini verò usus (quem præfert *Grembsius* cerevisiæ) uti & abusus in potu ordinario, suô etiam sinistrô & morbosô affectu non destituitur, qvod idem autor *l. a. & tit: 2. c. 1. §. 10.* non diffitetur. Cæterùm cerevisiæ ex tritico paratæ etiam nutriendi, sed simul obstruendi majorem facultatem, qvàm quæ condita est lupulô, tribuit *Gottfr: Mœbius in instit: med: p. 520.*

Inter adminicula, quæ diæta pro obesitate suppeditat, quies etiam locum occupat; namq; labores ardui atq; continui defatigant corpus, humores fluxiles reddunt, & evacuationes, imprimis verò transpirationem insensibilem aut sudorem promovent: unde saginatio non ita locum invenit, uti hoc in brutis saginandis non obscurè observamus, quæ asservantur in locis angustis omniq; studiô à motu multo arcentur. Moderatum autem corporis exercitium robori illius inservire, testis est *Conringius l. a. p. 81.* Neutiqvam verò vita laboriosa idem præstat, juxta *l. c. p. 82. & 120.* Mens eadem hæc est *Aristotelis 5. sect: probl: 4.* quòd sedile pingvedinē inducat. *Joh: Sperling: in Zoolog: p. m. 396.* agens de ceto cur maximè pingvescat, *Rondeletii* sententiam allegat his verbis comprehensam: Causam, inqvit, pingvedinis offert

fert *Rondeletius* vitam otiosam, corii densitatem, alimenti copiam & temperantiam. Etenim, pergit *Sperling*: animalia inertia pingvescere certum est, quod quotidie experimur in iis, qvæ eam ob causam angustis locis concludimus, ut in suibus & capis, & in his quæ hyeme latent, ut in gliribus & taxis. Adstruit etiam hoc, quòd homines & bruta citiùs saginentur, si motu destituantur, *Valent: Henr: Voglerus in diateticor: coment: p. 84. & 287.*

Eadem post hæc est ratio somni, si à curis, animiqve ac corporis laboribus sublevat homines, hinc præcedentia nutritionis adminicula subsident citiùs, atqve sic in carnosam ac pingvem corpulentiam convertuntur. Evolvatur de hac materia, quòd somnus corpulentiæ utilis sit, *Conringius l. d. p. 92.* Plura etiam ex mox seqventibus colligi poterunt, quòd somnus multùm conferat ad obesitatem.

Videtur præterea loci & aëris frigidior constitutio commodior varia de causa ad obesitatem comparandam, quàm æstus, vel locus calidus; partim quia poros cutis constipat; ne transpirationi ita portæ vel cutis pori pateant, unde aliàs obesitatis materia non subsistere potest; atqve hanc causam solam non pauci autores accusant, quòd in æstate non æqve ac in hyeme multa animalia pingvia reperiantur. Veruntamen his etiam annectendæ sunt aliæ rationes, quia scilicet multorum animalium veneris exercitium, generandi terminus vel periodus in æstate occurrit, inde & à corporis frequentiori, uti & motu sangvinis ac humorum majori concitato dissipatur pingvedinis materia, nec facultas pingvifica ita sui juris aliorumqve reqvisitorum particeps redditur. Sic quod Normanni Gallorum jam diu observaverint saginandis avibus ineptum esse Austri flatum, convenientissimum autem Aqvilonis exponit *Ol: Borrich: de ortu chemiæ p. 60.* Pertinet huc qvadantenus illud, quod paulò ante etiam attigimus de gliribus, de quibus *Martialis* ita canit:

Tota mihi dormitur hyems, & pingvior illo
Tempore sum, quò me nil nisi somnus alit.

Hyems acris autem illis forsitan & aliis brutis citiùs quietem im-

imperat, quatenus eâdem ratione glires conqvinifcentes vel contrahentes fefe calorem fibi gratum comparant, atqve fic citiùs ex rapinis fuis carneis pingviorem ftatum contrahunt, qui per æftatem, ob paulò ante adductas rationes, non ita adminicula fufficientia confequitur. Non dixerim tamen facilè, quòd folâ qviete vel fomnô fine dictis rapinis pabulisve pingvefcant animalia ifta vel alia plura. Addicti etiam huic fententiæ funt *Georg. Cafp: Kirchmajerus in difputat: zoologicar: Hex: p. 95. Goth: Voigtius in curiofitat: phyf: p. 169. &c. & Ifaac: Schockius in Centur: probl: rar: hift: med: probl: 80. p. 110.* Sic *Harfdorfferus* in **Luft-und Lehr-Gefchichten** *cent: 2. no: 150. p. 175.* ad qvæftionem, cur aves in autumno pingviores non nidificent & alia peragant, refpondet: qvòd in æftate, licet macræ eædem fint, tamen alacriores reddantur à calore & humido temperamentô; autumno verò frigidiora atqve ficciora illorum fint corpora.

Ex adverfo obfervamus, idqve ratione curationis fimul notandum his ftatim annectimus, qvòd fcilicet calor externus perpetuus corpora exficcet, atteftante hoc inter alios *Conringio l. c. p. 103.* Omnia verò qvæ intùs vel forinfecùs, & qvidem tam potentiali (præfuppofitâ operatione ad corpus ejusqve agendi vel patiendi mutuum refpectum) five actuali calore perfeveranti corpus afficiunt, obefitati officiunt. Atqve hanc ob rationem febres ignis naturam æmulantes nomenqve illius apud Græcos gerentes, aliiqve morbi calidi ad hanc claffem attenuantium vel deterentium corpus ac obefitatem numerandi funt; veluti de tabifica pefte aliisqve fimilibus morbis pluribus idem hoc confirmantibus alio in loco noftræ differtationis loqvemur. Tandem frigidior ftatus & aëris conditio extrinfecus omnino corpori confert pro robore illius, qvemadmodum in hanc rem de balneo vel flumine gelido (cui Germani olim recens natos infantes immerfiffe fingantur) videri meretur pluries citatus *Conringius l. a. p. 97. &c.*

Attigimus jam lavacra, qvibus robuftos Germanos olim freqventer ufos effe docet idem laudatus *Conringius l. c. p. 93. & 94.* qvo in loco inter alia etiam innuit autor balneorum immodicum ufum obeffe valetudini; & freqventi lotione

 emol-

emolliri corpus, primamq; ætatem ad incrementum eâ re multum juvari, & hanc qvidem omnium prudentium medicorum consensionem esse; ut proinde etiam hoc profuisse ad insignem majorum proceritatem, dubitandum non sit. Inservire etiam ideò arbitror balnea puerulis certâ qvapiam tabe corporis laborantibus, qvam vulgus crinonibus, **denen Mit-Essern** tribuit: ubi loco putredinis animatæ excrementitiam materiam potiùs poris cutis undiq; impactam esse suspicor, qvam eâ ratione dilui atqve elici posse credo, ut postea facilior atqve felicior nutritio puerulorum subseqvatur; superfluam verò industriam collocare mulieres arbitror in balneis variis conficiendis, dum feces, pollinem tritici vel pultem certam, mel aliaqve similia appropriata putata pro dracunculis istis è cute promtiùs evocandis adhibent; de quibus alio in loco commodiori pleniora dabimus. Plura qui appetit de atrophia curanda mediantibus balneis naturalibus ritè usurpatis, evolvat *Joh: Bauhinum de aqvis medicatis l. 3. c. 3.* Idem autor ibidem *cap. 2. p.* 181: perhibent, inqvit, obesos fieri homines aqvâ Antioli in Campania tractu temporis ob mediocrem siccitatem. Qvod præterea balneis delectentur Ægyptii atqve iis inter alia obesitatem sibi procurare intendant, patet ex *Prosp: Alpini de Medic; Ægypt: l. 3. c. 14. 17.* Nescio num opportunè huc traham, quod habet *Ælianus lib: 5. histor: animal: c. 45.* inqviens: suem pingvescere audio non cum plurimum lavatur, sed cùm in luto versatur ac volutatur & aquam turbidam bibit. *Aristot: lib: 8. histor: animal: c. 6.* dicit itidem sues lavando in cœno pingvescere. Plura de suibus lustrô vel lacunis delectantibus tradit *Vorstius in Adagiis novi testam: p.* 27.

In præcedentibus subinnuimus, quod continuus calor fatiget corpus atqve inde fatiscet ac destruatur pingvedo, quod itidem labores & affectus animi præstant. Sic non opus videtur probatione operosâ quod curæ edaces nomen & omen vel efficaciam habeant, & corpus macerent ac extenuent, veluti si volupe est, de epitheto illo curarum consuli potest *Joh: Nic; Wernerus in corpusc: philol: p. 219. & 221.*

Idem efficiunt animi affectus sinistri, scilicet mœror, tristitia,

ſtitia, dolor, ſtudia, meditationes profundæ atqve continuatæ, vigiliæ &c: ſicuti è contrario animus tranqvillus ac pacatus curisqve ac rerum altiorum gerendarum ſolicitudine vacuus, citiùs obeſitatem admittit, ceu de ruſticis ac plebejis obeſis in præcedentibus mentionem fecimus.

Succedit his etiam amor & veneris exercitium, quod ſi modicum eſt vel plane intermittitur, citiùs inter alia adminicula anſa obeſitati relinqvitur. Qvòd verò eos, qvi perditè amant, imprimis ſi macilenti ſint, perditio & macies major ſeqvatur ac perſeqvatur, autorum teſtimonia vel ſententiæ comprobant, de quo *Werner: l. a. p. 220.* aliiqve plures autores agunt. Aliàs etiam conſtat, qvòd evnuchi & evirata animalia citiùs pingveſcant, quàm quæ vires ſuas impensè in veneris exercitio collocant: veluti laſciva capella & hircus non admodum ſaginationem admittunt. Hinc obeſi notam & cauſam ſecum circumferunt, quòd ad generationem ſegnes & ſæpe inhabiles ſint, de quo plura in ſuperioribus attigimus. Annotarunt itidem autores, quod hirci non ita ad laſciviam proni ac habiles deprehendantur, qvando nimiùm pingves evadunt.

Inter cauſas obeſitatis recenſent etiam aliqui, ſi evacuationes ordinariæ, ſcilicet menſes in mulieribus ſuppreſſi ſint, de quo *Jonſtonus in Idea med: pract: l. 10. p. 647.* Notæ etiam mihi ſunt mulieres obeſæ, quæ patiuntur communiter ferè tempore conſveto menſtruum ſuum fluxum. Alii ſtatuunt item, quod hæmorrhoides ſuppreſſæ pariter obeſitati anſam præbeant; ſed recordor etiam viri bonô vel craſsô corporis habitu præditi, qui priùs hæmorrhoidum fluxu, poſtea mictione cruentâ laborabat. In ſeqventibus etiam annotabitur, quòd venæſectio obeſitatis anſam quibusdam ſoleat ſuppeditare. Inter quaspiam adductas obeſitatis cauſas accuſat etiam *Fallopius l. a. cap. 4. p. 330.* vaſorum anguſtiam, quòd non multa congeries ſangvinis in venis fieri poſſit, unde neceſſe ſit, ut extrudatur extra venas.

Qvia innotuit etiam nobis ſeqvens, id celare noluimus, ſi forſitan veri qvid huic ſubeſſe aliquando comprobet experientia,

rientia, juxta *Lemnium de occult: l. 2. c.12.* dicuntur mares coral-lia gestantes pingviores fieri.

Demum contigit subinde ut ii, qui superârunt morbos diuturnos, acutos, vel febres, admodùm obesi facti sint, quod innuit inter alios *Mercurial: de decorat: l. 6. p. 26. & 27.* Sic etiam observamus qvandoqve post morbos malignos magnam mutationem corporis fieri, veluti capillos & faciem immutari aliaqve plura nova fieri in eodem deprehendimus. Qvi febribus laborant, his solatii loco qvidam suggerunt, qvòd ignis febrilis illorum officium gerat vel expleat, qvi ex fumario fuliginem solent expurgare, & quòd post cessantem febrim plenior sanitas sit expectanda. Nolim tamen svadere facilè cuipiam, ut morbos vel febrim sibi concitet, pro dubio illo eventu vel majori sanitate recuperanda: cujus etiam momenti sit illorum intentio, qui pro morbis curandis, morbos alios excitare svadent, aliô forsitan in loco uberiùs imposterum ventilabimus. Admodum immodesti autem vel immorigeri sunt sæpe morbi, qvi cum fuligine illa è camino microcosmi sanitatem & vitam ipsam sæpe everrunt & evertunt. De pestis imprimis sævitia tabifica (veluti epitheton hoc aliàs à Poëtis illi assignatur) qvæ intra tres dies destruxit corporis sarcinam & vitæ usuram, loqvitur *Laur: Gieselerus de peste Brunsv: obs. 46.* Qvod qvidam etiam corpulenti fiant post sublatam luem Gallicam à decocto lignorum, idqve huic non simpliciter, sed per accidens (qva-tenus scilicet causam morbi destruat) tribuendum sit, indicat *Dan: Sennertus in prax: l. 6. part: 4. c. 13. p. 165.* Tandem quòd post ablatas & destructas strumas duas (quarum altera in brachio dextro pondus librarum septem, altera verò in axilla itidem dextra librarum novem ac dimidiæ pondus æqvavit) admodùm pingvefactus sit servus qvispiam, qui ad extremam maciem antea redactus vix ossibus hæsit, historiam legimus apud *Bald: Timæum l. 6. cap: 23. p. 285. &c.*

Hactenus perlustravimus obesitatis causas, brevibus jam dispiciemus de differentiis quibusdam affectus nostri, qvas autoribus qvibusdam constituere allubescit. *Galenus 2. de temper: 4. & in comm: ad Hippocr: l. 2. Aph: 44.*

dif-

differentiam conſtituit inter naturalem & adventitiam, & utramq; iterum dicit eſſe vel moderatam vel immoderatam. Veſtigia *Galeni* videtur ferè legere *Gabr: Fallopius l. a. c.3.& 4.* dum quadruplicem itidem conſtituit obeſitatem (1.) naturalem ſeu à generatione exiſtentem (2.) non naturalem ſeu ſupra naturam, vel habitum naturalem, qui non eſt ita ſecundùm naturam vel præter naturam; & hunc habitum exiſtimant illum, qvi per conſvetudinem acqviritur, nec à primordio generationis. Atqve in his videtur autor locum *Galeni lib: de tumoribus c. 1.* exponere, ubi obeſos dicit eſſe ἐ παρὰ τὴν φύσιν, ſed ἐ φύσει & ὑπὲρ τὸ κατὰ φύσιν &c: (3.) pergit *Fallopius*, eſſe etiam obeſitatem ſalubrem, in qva non obſervatur actionũ læſio, & (4.) morboſam, quæ ad extremum magnitudinis perveniens lædit actiones. Si qvis ad breviorem numerum reducere vellet diſtinctas has ſpecies, ei forſitan non admodum difficile foret: cum alioqvin gradus, vel magis & minus non varient ſpeciem. Si nondum ad ſummum ſtatum eſt evecta obeſitas, non tanta quidem ſymptomatum catervâ eadem ſtipata eſt; nec ea tamen ſpernenda vel à medici inſpectione abſolvenda eſt, quæ in fieri, ut ajunt, exiſtit. Quæ aliàs differentia intercedat inter corpulentiam & obeſitatem, vel inter obeſorum ſolidum aut firmum & flaccidum vel ad cachexiam inclinantem ſtatum, denuò hoc loco ſuperſedemus repetere; cùm aliquoties horum in præcedentibus mentionem fecerimus, & paulò poſt paucula adhuc de his ſimus annexuri. Demum nec eam differentiam, qvæ inter veram & falſam obeſitatem aut vitioſum corporis habitum intercedit, repetemus, cùm *p. 9. 15. & 16.* eam attigerimus, nec iſte habitus ad noſtram conſiderationem pertineat, uti nec ille tumor, qui à morſu ſerpentum & venenatorum animalium oritur, veluti inter ſtupendos ſpecificos effectus à morſu viperarum variarum oriundos à Præſtere percutiente horrendum corporis tumorem eleganti carmine complectitur *M. Ann: Lucanus de bell: civil: lib: 9.*

Poſt hæc progredimur ad ſigna obeſitatis, qvæ operosè & è longinqvo conqvirere ſuperſedemus, cùm popa & reliqvus partium vel corporis plenus, floridus & naturalis (certò reſpectu

ſpectu) habitus ſe minimè condat aut abſcondat. Poſſent etiam ex ſuperiùs memoratis varia colligi, qvæ ſignorum doctrinam ampliorem conſtituere poſſent, ſed paucis adhuc tradendis illis indulgebimus: adeſt itaqve inſimul in obeſitate firmitas ac robur artuum; porrò functionum majus pondus adeſt, licet ſegnior illarum aut brevior continuatio exiſtat; operationes vel negotia etiam cum reſpiratione difficili & tardiori artuum motu peraguntur; præterea obeſi non æmulantur novercam, quando gula & ſtomachus debitam materiam utramqve nutritiam poſcunt, famelici enim crebrò craſſi exiſtunt; non raro etiam iidem pingvibus delectantur cibis. Adeſt ulteriùs in obeſitate ſimplici & peccante ſolùm *ἀσυμμετρία* vegetus & floridus calor, mollities aliqualis (in reſpectu ad exeſa, & oſſibus ſolùm hærentia & horrida corpora) atqve ſæpe glabrities in cute infarcta apparens; diſparent inſimul vaſa ſangvifera magis, quàm in macris. Nolumus hoc loco etiam intactam prætermittere elegantem deſcriptionem *Hieronymi* ſignis non obſcuris quibusdam obeſum delineantem, quam de Eglon Moabitarum rege obeſo (*ex Judicum 3. v.* 17.) verba faciens tradit *Val: Henr: Voglerus de reb: natur: ac med: in ſcript: ſacr: content: p. 136.* rubent, inqvit, buccæ, nitet cutis, comæ in occipitium frontemqve tornantur, protenſus eſt (*ex Perſio*) aqvaliculus inſurgunt humeri, turget guttur, & de obeſis faucibus vix ſuffocata verba promuntur. Aliqui accuratiùs de obeſitate ſtatui arbitrantur, quòd illi flaccida, laxa, & frigida magis inſit conſtitutio, unde eadem diſtingvatur etiam à corpulentia; in qva equidem expletæ itidem plus juſto ſint partes carnoſæ, ſed inſimul adſit major cutis ſoliditas, rubicundus color, major calor, & pilorum major exſuperantia. Verum qvis intus & in cute novit corpulentos, an pingvedine ſint deſtituti; ſectiones forſitan illorum à popa aliisqve partibus pingvedinem abeſſe vix oſtenderent. Magis ſanus equidem ſtatus hic videtur, quàm obeſorũ apparentium; imprimis ſi horum flaccidus & albus vel pallidus magis apparet habitus propter arvinã nimis humidam; qvi ſtatus faciliùs etiam poſtea inclinat in cachexiam & hydropem, veluti antea qvadanteꝰ de his nos egisſe

se meminimus. Hæc verò obesitas & alii tumores vitiosi colore, variarum actionum depravatarum indiciis aliisqve notis se produnt, veluti de his & aliis tumoribus morbidis signa pathognomonica nota sunt. *Mercurial: l. a c. 6. p. 28.* naturalem & adscitam vel accidentalem ita dignoscendam esse docet: si obesitas, inquit, sit à natura, qvatuor signis potissimum cognoscitur, venarum angustiâ, glabritie corporis, virium infirmitate & carnium frigore. Adventitia autem cognoscitur venarum amplitudine, hirsutia, virium infirmitate, corporis æquabiliori frigiditate. Eadem habet etiam *Rod: à Castro de medicin: mulier: part: 2. l. 3. c. 3. p. m. 233.* Vereor autem ne fallant hæc indicia, vel promiscua eadem sæpe sint.

Restat, ut agamus etiam de præsagiis vel prognosi, quæ de obesitate imprimis exsuperante colligenda est: nemo autem, nisi qui hospes est *in Hippocratis* scriptis, & aphorismis præcipuè ignorat, quòd periculosus & inconstans sit obesorum athleticus habitus, de quo pluries etiam in nostra dissertatione mentio occurrit. Proinde quia obesi in lapsum vel decrementum aliaque mala proni & præcipites sunt, effatô *Hippocratis 1. Aph: 3.* & experientiæ testimoniô, falsò horum ruina sæpe in laudes malevolorum vel incantationem rejicitur; veluti hoc de nitidioribus, obesioribus & pulchrioribus pueris ac juvenculis suspiciosum vulgus falsò statuere dicit *Rod: à Castro in Med: Polit: l. 4. c. 1. p.* 211. sententiæ huic addi possunt, quæ eundem in scopum scribit *Exc. D. D. Frommanus de Fascino p. m. 44. &c. & p. 73. &c.* Crebrò in præcedentibus indicavimus, quòd obesitas exuberans fluidiori vel serosa pingvedine, facilè in cachexiam aut hydropem abeat; quod etiam jam, dum hæc scribo, experior de viro quopiam obeso, cui ante annos aliqvot similem cachexiam metuendam esse prædixi. Similes turdo esse obesos, qvi sibi ipsis malum cacent suâ mole studiosè collecta; nec non cum carcere comparari crassitiem corporis, audivimus in præcedentibus:

Hanc sanus vitæq; studens sis qvisqve caveto!

Etiamsi pulchritudinis ac splendoris, decoris, vel autoritatis notam qvispiam qværat in obesitate exsuperante, splendidam

ta-

tamen miseriam reperiet in eadem. Sic enim *Celsus l. 2 c. 2.* in hanc rem loqvitur: Si plenior aliqvis & speciosior & coloratior factus est, suspecta bona sua habere debet. Qvi carceri comparant obesitatem, sine dubio non diffitebuntur; qvòd malè ex hoc carcere respondeatur. Licet etiam carcer nitidus & compedes aureæ in carcere detineant quempiam, (veluti hujusmodi pingvedinem hominibus ambulandi potestatem promptam denegantem corporis compedes non ineptè vocat *Avicenna tr. 4. c. 5. in initio.*) qvis tamen delectabitur facilè iis, & non potiùs atrô carbone ista notanda censebit. Inscriptionem hujus carceris ferè facerem illam, qvæ alicubi carceri atro inscripta legi dicitur:

Ad mala patrata hæc sunt atra thuatra parata.

Qvanqvam sagina corporis exsuperans non semper actu existit sarcina molesta, aut lædit evidenter functiones varias, facillimè tamen, multisqve modis mala alia nova malo latenti addi possunt, unde sanitatis vel vitæ jactura metuenda est, veluti inter mala & symptomata obesorum non obscurè, uti arbitramur, de his egimus. Si moderata est obesitas nec summum ad statum evecta, mitiorem prognosin auffert: sic enim indicat *Mercurial. de morb: puer: l. 3.* quòd obesitas, quæ æqvaliter perseverat, sit multò eligibilior, quàm immodica macies, eò quòd vita nostra posita sit in humido, & ubi humiditas hæc abundat, fugiantur plurimæ noxæ; illæ scilicet, quæ ex coitu, laboribus, & aliis immensis evacuationibus contrahuntur. Idem *Mercurialis de decorat: p. 28.* arbitratur etiam obesitatem naturalem incurabilem esse. Propterea, inqvit, teste *Galeno l. 4. meth. 15.* Nicomachum illum obœsissimum, ut curaretur, indignisse Æsculapiô, immo verò si qvandoqve tentetur curatio hujus obesitatis, tantum abest qvicqvam profectus haberi, ut potiùs incidant obœsi in deteriores ægritudines. Cæterum ea, quæ adventitia est, multò faciliùs curatur & minori periculo.

CAPUT

CAPUT VI.

De Therapevticis.

PRiusqvam ad ipsum curationis negotium vel doctrinam nos accingamus, præmittemus iis nonnulla autorum judicia difficilem obesitatis curationem pronuntiantia, vel planè de eadem desperantia. Qvòd ergò cautè tractanda vel instituenda sit obesorum curatio, svadent nonnullorum autorum relationes, quæ loco convalescentiæ mortem iis allatam esse adstruunt; de qvo *Mercurialis l. c. p. 34.* Duo alia exempla de mulieribus, quarum una desiccativis imprudenter usurpatis sibi obstructiones viscerum, vasorum & mensium, mortemqve ipsam; altera verò immodicô usu cicerum torrefactorum cum sale non meliorem priori successum sibi contraxerit; exempla talia, inqvam, consignata prostant apud *Rod: à Castro de morb: mulier: part: 2. l: 3. c. 3. p. 234.* Præterea quòd in hoc affectu neque brevis neque facilis sit curatio, unde non infaustô omine suscipienda eadem sit, monet *Joh: Jessenius in Instit: chirurg: cap. 22. p. 94.* Porrò desperat ferè de curatione omni *Paul: Zachias in qvæstionibus Med: Legal: tom: 1. l. 3. tit. 1. qvæst. 6. pag. 234.* Sic enim ille: difficillimum est, & fortasse impossibile arti Medicæ hoc vitium emendare; licet namqve qvamplurima proponantur medicamenta, qvæ obæsa corpora & extenuare possunt, & superexcedentem pingvedinem minuere, ea tamen operatio periculi plena est, & vix unqvam optatô fine in ea exeqvenda Medici potiuntur, ut latiùs demonstravi *lib: 2. de qviete servanda in curandis morbis.* Verùm historiæ Medicæ non planè impossibilem vel dubiam esse obesitatis curationem nobis persvadent, licet eadem cautam ac prudentem Medici opem reqvirat.

Hisce itaqve prælibatis opus est, ut in summo obesitatis statu haud cunctanter eum solvere annitamur; veluti rationem vel impulsum hujus moniti etiam inculcat 1. *Aph:* 3. Etiamsi

iamsi nondum ad summum fastigium evecta est pingvitudo, non tamen otiosi spectatores tutò possunt esse Medici, quibus ejusmodi habitu præditorum hominum sanitas concredita est, cum præservatione iis tempori prospicere meliùs possimus; alioqvin status summus minùs commode vel promptè admittit impetuosam curationem. Continuanda præterea etiam est curatio vel præservatio pro majori incremento arcendo; idqve potu qvopiam ordinariô medicatô, aliisve modis tentandum; cùm aliàs facilè sarcina illa quadantenus, vel semel & decenter quidem dispersa redire, vel in pristinum statum reverti possit ac soleat; nisi planè conjuncta illa curatio fuerit cum detrimento corporis vel sanitatis. Imprimis autem post diætæ regimen legitimè institutum evacuationes corporis variæ arripiendæ sunt; veluti pariter hoc cautionibus certis unà injunctis monet *Cous noster l. 4. & 2. Aph: 22.* Qvod verò pingvedinis materia fluida facta subinde cum urina vel alvinis excrementis secesserit & ejecta fuerit è corpore; item qvòd sudor colliqvativus corporis habitum destruens interdum observatus sit, (unde curatio analoga & possibilis colligi potest) id nostrâ probatione amplâ jam non indigere existimamus.

Sistit jam se nobis in curationis fronte venæsectio, cui verò instituendæ non annuunt omnes autores, inter quos reperies *Rod: à Castro de morb: mul: part: 2. l. 3. c. 3. p. 334. Fallopius l. 4. c. 5. p. 332. & Joan. M. Castellanus in phylacterio phlebotomiæ p. 19.* Contrarium potiùs effectum, scilicet obesitatem & incrementum corporis exinde emergere, patet ex *Actis Philosoph: Anglic: Latine redditis in Anni 1669. p. m. 57.* Fieri potest, indicant, ut arbores meliùs succrescant, & uberiorem fructum producant, si recta methodus extrahendi succum in hunc finem reperiatur; sicut nonnulli crebrâ phlebotomiâ pingviores fiant. Hoc dictum non planè negaverim, qui enim temperatis humoribus corporis gaudent, eorundem sangvis mitis ac nutrioni aptus hâc ratione reddi, & simul cum illo obesitas augeri potest. Negat qvoqve cum aliis obesitatem imminui à venæsectione *Mercurialis l. 4. p. 31.* Monet equidem *Lud:*

Se-

Septalius in Animadversion: med: l. 4. §. 13. quod pingves non ita, quàm carnosi sangvinis detractionem sufferant. Verùm quæ in præcedentibus circa utriusqve corpulentiæ differentiam monuimus, ea similiter forsitan hoc loco quadantenus applicari valent, quòd scilicet carnosæ corpulentiæ vix majorem utilitatem, quàm pingvi conferat sangvinis evacuatio. De priori sententia *Septalii* mens eadem ferè colligitur ex *Hippocratis 1. Aph*: 3. & commentatoribus in locum dictum ; quamvis etiam *Hippocrates* ibi non solam venæsectionem, sed etiam alios evacuandi modos intelligere credatur, scilicet exercitia, balnea, frictiones, diaphoretica, inediam &c. de qvibus benè *Cachetus l. a. p.* 269. Suffragatur insimul illic autor iis, qui freqventem usum cucurbitularum siccarum, frictionem pannis asperioribus institutam svadent ; verùm an magna curationis spes etiam ab his expectanda atqve expetenda sit, judicent alii; nobis non admodum arrident hæc chirurgiæ præsidia. Hirudines admotas corpori itidem profuisse, & à sarcina pingvi levasse quosdam narrant quidam, de quo *Zacut: Lusitan: l. 3. prax: admir: obs:* 112. Si qui ergò confidentiam in his ponunt, eis liberum erit iisdem uti ; nobis videntur aliæ curationes institutæ, internis medicamentis sudori eliciendo vel aliis evacuationibus destinatis, tutiores & efficaciores. Interim non possum intactam prætermittere venarum jugularium sectionem celebratam in asthmatico obeso, à qua meliùs eundem spirare cœpisse asseverat *Franc: Osw: Grembsius in arb: integr: &c. l. 2. c. 1. §. 9. n. 97. & 98.* Nolumus ab his etiam abesse monitum *Gabelchoveri cent: 6. curat:* 10. quod pingvibus cavsô laborantibus, non multum sangvinis mittendum sit.

De hinc *Grembsius l. a. n. 103. & 104.* cauteria vel fonticulos iis, qvi latice abundant, & obesi sunt, non disvadet ; Italorum autem consvetudine ratum ducit autor ille, si unum in crure paulò supra genu, & alterum in brachio gestent; usu & experientiâ enim observatum dicit cauteria in utroqve brachio gestata faciem decolorare, detractô forsan nimio cruore. Monemus etiam hoc loco manantia & chronica ulcera, uti in qvi-

buscunq; hominibus, ita in obesis inprimis non facile consolidanda vel claudenda esse, nec permittendum ut sponte suâ exsiccentur; si non aliæ evacuationes seri aliunde procedant in corpore: rarò enim inultam sinunt ulcera illa suam interclusionem, veluti magna detrimenta & sanitatis decrementa inde qvibusdam accrevisse exemplis ac testimoniis illustrare valeremus. Qvia etiam obesitas quandoqve ad cachexiam & hydropem inclinat, nescio utrum tutò satis scarificationes & vesicatoria semper adhiberi possint & congrua sint obesitatis curationi; veluti sinistrum eventum horum chirurgicorum mediorum in hydrope vel cachexia observatum facilè in medium proferre valeremus. Nolim etiam in hoc & aliis curationibus morborum semper argumentari ab iis, quæ natura quandoqve molitur, atqve ideò dicta media apprehendere, licet natura quandoqve ejusmodi evacuationes seri intendat & ostendat. Horum dictorum ductu recordor viri obesi, cui propter ophtalmiam vesicatorium chirurgi solius ope & consilio nuchæ admotum malè cessit; quandoquidem gangræna occupans illam partem, intra paucos dies dictum virum citò, sed non satis tutò ab illo ac omni malo ut & vita hac liberans ad alteram æternam promovebat.

Deinde laudant qvidam frictiones cuti adhibitas; veluti *Galenus lib: adversus Erasistrateos* non paucos plethoricos se evacuasse iis gloriatur. Verùm magnum inde usum adfuturum non hariolor, si excipiam cutim rarefaciendi vel aperiendi potestatem, pro meliori transpiratione promovenda, inde provenientem. Proinde si balneo sicco vel lecto pareat atqve pateat cutis ac sudor protrudatur, non multùm opus videtur dictis frictionibus; veluti has etiam non admodum approbat *Cachetus l. a. p. 275.*

Citæ paulò ante memoratæ ophthalmiæ curationi succedit citior chirurgica operatio, modò æq; tutò eadem procederet: sic exempla vel historiæ prostant de sectione arvinæ, tentata & peracta citò qvidem, sed non satis tutò aut feliciter; cùm pariter cum pingvedine ea ratione vitam ablatam esse ab obesis evulgent nonnulli autores. Imitantur hujusmodi homines ferè

cu-

curationem, qvam exercuit *Prædo apud Galenum* in longorum corporum tractatione, hic qvippe ipsis pedes amputavit, sicuti meminit *Mercurialis de decorat: c. 6. p. 17.* De dicta verò obesitatis curatione exemplum seqvens his subnectere nobis libet. *Autor Chronici Montis Sereni ad annum 1190.* refert: quod Henricus Rex ducendæ uxoris causa ad partes Apuliæ profecturus, Dedonem orientalem Marchionem secum voluerit proficisci, qvi itineris illius asperitatem corpori suo, qvia crassus erat, contrarium sciens, pro tollenda intestinorum arvina, Medicô adhibitô, ventris incisione mortuus sit XVII. Kal. Septembris, & in Ecclesia Cillenensi, qvam ipse fundaverat, sepultus sit. Paulò aliis verbis & forsan ex autore hoc historiam illam tradit *Albinus* in der Meißnischen Land-Chronic *p.* 226. Qvæ *Plinius lib: 7. c. 37:* de Apronio qvodam Romano memorat, quòd detractione pingvedinis ab obesitate liberatus sit, ea verba, si de sectione intelligenda sint, uti ferè ex loco dicto colligitur, fabulis accenset *Mercurial: l. c. p. 31. &c.* Idem autor ibidem nugas existimat & auxilia supervacanea atqve inania, qvæ narrat *Ælianus l. 9. de var: histor: c. 13.* quòd Dionysius Eracleotes Clearchi filius (qvi usqve adeò obesus fuit, ut vix respirare posset, consiliô Medicorum consveverit acubus curari dum dormiret) permiserit sibi latera & carnes perfodi, usqve ad sensum, qvò sic pingvedo tandem consumeretur. In adductis his sequitur *Mercurialis* vestigia & eadem ferè de obesitatis natura & curatione, licet paulò breviùs, tradit *Rod: à Castro de morb: mulier: part: 2. l. 3. c. 3. p. 233. &c.* Inter alios dissvadet etiam abdominis incisionem, tanqvam periculosissimam ad educendam pingvedinem *Epiph: Ferdinand: in histor: 82. p. 274.*

Considerandа porrò veniunt pharmacevtica vel medicamenta evacuationem corporis variam promoventia; atq; hæc qvinq; modis potissimum fieri mox indicabimus, qvibus specifica, vel experientiâ medicorum probata qvæpiam annectemus. Commendant verò non nulli autores nimis acria aromatica, qvę sunt fixioris naturæ, nec adeò cum alvi excrementis vel per alias vias iterum promte secedunt, sed in sangvinea vasa rapta

 tandem

tandem non optimum eventum ſpondere videntur. Sic *Sylvius in Prax: l, 1. c. 38. p. 278.* inter alia etiam ſvadet uſum piperis, Garyophyllorum, cinamomi ac zinziberis. Ex hujus modi ingredientibus etiam conſtant ſpecies diaſpoliticon *Galeni* inferiùs laudatæ à quopiam medico. Nobis verò inter alia placent potiùs flatulenta & volatilia acria, quæ alvum ſimul cient, de quibus in diæta plura dabimus. Intendit forſitan illud noſtrum monitum etiam *Iſaac: Cattierius in obſervat: 13. p. 45.* (*quæ obſervationibus Borelli annexa ſunt*) dum indicat tenuem diætam ſæpe parum proficere, imò plurima multis intuliſſe damna: humores enim exacuare & inflammare, febremqve ſæpiùs excitare.

Inter evacuantia verò non ultimum locum inveniunt diuretica: *Helmontius in latic: humore neglecto §. 44. &c.* Pingvedo, inqvit, ſive obeſitas me ſpectante unicô bimeſtri per potum diureticum loco cereviſiæ ſumtum abacta eſt. Pharmaca autem peregrina chinæ, zarzæ, Gvjaci &c: quòd laticem per ſudores profunderent, ficto mentitoqve titulô exſiccantium nomen acqviſivere. *Joh: Fernelius in Pathol: l. 6. c. 13. p. m. 187.* ſimiliter refert ſe obeſum qvendam & tumidulum vidiſſe ex multa mictione diebus circiter octo mirum in modum extenuatum. Fundamentis qvibusdam plauſibilibus permotus ſvadet quoqve diuretica *Mercurialis l. a. p. 32.* Inter ea verò non ultimô loco recenſere volunt quidam daucum, radicem apii, ſemen ammeos & terr: fol: ♀. Plura occurrent paulò inferiùs, qvæ claſſem diureticorum explent, atqve inter ea acidiuſcula & ſalia neutra præpollere arbitramur. Si verò diureticorum paulò poſt recenſendorum numerus non ſufficiet, ex autoribus materiam medicam docentibus facilè defectus ille ſuppleri poterit. Inter medicamenta corpulentiæ nimiæ oppoſita recenſet etiam ac docet diuretica & diaphoretica *Joh: Georg: Macaſius in Promptu mater: med: l. 2. ſect: 16. c. 1. p. m. 878.* Cæterum evacuantia per ſudorem vel lotium placent etiam *Fallopio l. c. 5. p. 332.* Similiter *Prævotius in Medic: pauper: p. 732.* proficua declarat diuretica pro extenuanda obeſitate. *Hippocrates 7. Aph. 35.* innuit ferè, quòd pingvedo urinæ innatans re-

num adeps sit, quod semper tamen vix respondebit experientiæ, cùm etiam aliarum partium vel pingvedinis colliqvescentis indicium urina illa præbeat. Succedunt præterea huic evacuationi ea, qvæ menses movent, si forte isti obstructi causam præbeant obesitati; farrago medicamentorum horum non est ignota; laudantur tamen inter hæc præcipue radix erythrodani, helenii, levistici, pimpinellæ, centaurium minus, absinthium, mentha, pulegium, artemisia, flor: lavendulæ, savina, lign: sassafras, cinamomum, myrrha, aloë & ex his parata medicamenta composita, Ess: absinthii mixta cum Elix. Propr. ♀ fatô, vel acidis spiritibus additis facto. Si hæmorrhoides obstructæ culpâ qvapiam laborant in pingvedine, eædem modis usitatis pariter revocari vel reparari possunt. Plura alia scopo huic medendi inservientia ex sequentibus huc etiam trahi poterunt.

Porrò inter commodissima atqve tutissima curanda obesitatis adminicula videntur numeranda cathartica: veluti annuit huic medelæ *Fernelius in lib: consilior: cons: 15. p. m. 334.* ubi dicit observatum esse, qvod si alvus sponte sive arte soluta fuerit, magnum emolumentum inde obesis collatum esse; consulit insimul illic autor ut catapotia unâ vel sesqvihora ante pastum mane offerantur, idqve sensim ac lentè duobus vel tribus diebus interjectis semel præstandum, cum illuviem ejusmodi impetu concutere minùs tutum censeat. Non recedit ab illa sententia *Joh: Jessenius in Instit. chirurg. sect: 3. c. 22. p. 94.* Placent qvadantenus nobis Pilulæ ex therebithina confectæ; licet obeso, qvi simul morbo articulari affectus fuit, profuisse illas qvalibet hebdomata semel datas annotet *Petr: Forest: l. 31. obs. 10. p. 60.* Aloë verò aliàs, uti in aliis catapotiis purgantibus, ita etiam in iis, qvæ dicatæ sunt obesitati, restim ducit: tabem etiam inferre aloën (unde cum magno commodo frigidis & humidis eandem dari posse) constat ex *Casp: Hoffmani de Medic: officin: l. 1. c. 3. §. 22.* qvamvis ætiologia illius efficaciæ ab autore data, non omnibus forsitan arrideat. Paucis etiam attingit illam potestatem *Excell: Pechlinus in eleganti tr: de purgant. p. 65.* De aliis facultatibus aloës jam multa non addam, quatenus eidem

vis

vis *ἀναφυσητική* & efficax vario pro fluxu ſangvinis concitando autorum & experientiæ ſuffragiô tribuitur. Proinde conferunt pro auſſerenda obeſitate pilulæ compoſitæ variæ ac paſſim obviæ : ſcilicet Pil: Ruffi, Glaſſianæ aut Francofurti & inprimis laude ſuâ cluent Pil: de ſandaracha *Mynſichii in armam: Med: chym: ſect: 6. p. m.* 148. Pilulas has loco arcani dicitur reputaſſe aliquando *D. Oſwaldus*. Sed ſvadent Practici celebres, ut hujus MP. largior doſis ſumatur, ſcilicet fabæ quantitas qvovis die, & qvidem ſtomachô nondum ſaturato vel adimpletô. Celeberrimus qvondam Lipſienſium Profeſſor atqve Practicus *D. Joh. Michaëlis* ſimili ferè MP. uſus fuit, ſed loco ingredientis (compoſitionem illam) rad: Ariſtol: rot: extractum illius, item nicotianæ ac filicis, atqve loco piperis nigri longum ſubſtituit. Suſpicamur non ineptas pilulas fieri poſſe hoc modo:

℞. Aloës ſuccotr: ℥ß Myrrh: ℈j Gummi Ammon: ʒj ℈i Sadarach: Arab: Laccæ an. ℈iiß Extract: colocynth: gr: ix. rutæ, rad: Pyrethr. an: ℈ß. ☿ dulc: gr. xxv. ſolvendis ſolutis l. a. tandem mediante ſucco roſar. f. Pilulæ inſtar piſi mediocris, doſis ſit ℈j. quæ augeatur aut minuatur prout alvus auſcultat intentioni D. S. **Pillen wider die übrige Feiſtigkeit nüchtern auf einmahl.**

Pilulas ſimiles aliasqve formulas purgantes innumeras concinnare atqve tradere hoc loco valeremus, ſi non aversari quosdam in diſputationibus hanc prolixitatem noſſemus. Verùm nec tyroni leviter imbuto medicamentorum componendorum doctrinâ admodùm difficile erit ut ſublevet hunc laborem noſtrum, ſi laudata ab autoribus & à nobis pauliò inferiùs proponenda cum purgantibus miſceat & in formulas palato cujusvis obeſi gratas redigat. Anſam interim non temnendam plurium componendarum formularum ex paucis medicamentis hauriet, cui placet, ex *Joh: Tilemanni poſt Aphoriſm: Hippocr: ex Appendice de mater: med: p.* 118. *&c.*

Scribunt quidam etiam, quod ros nocturnus ante ſolis ortum collectus atqve aſſumtus imminuat pingvedinem; hujus verò facultatem purgantem eſſe colligit, ex nonnullis rationibus, *Mercurialis l. c. p.* 37. Atqve hoc eò citiùs credo, ſi ros il-

le

le frigidus & paulò largiori copiâ assumatur. Qvemadmodum similis ejusmodi vis ab haustu iterato vaccino vel largo frigido fontium salubrium (qvi subinde in locis qvibusdam oriuntur, vel tales solum existimantur) emergit & redundat in homines, atqve sic sæpe morbi chronici tolluntur. Id pariter observamus agyrtas sæpe efficere, qvi caballinâ dosi purgantium ac vomitoriorum non nunqvam morbum & animam qvasi simul è corpore exturbant. Sed artis præcepta & conscientia medici legitimi jubent rationem habere subjecti atqve variarum circumstantiarum; ne in fine tandem temerarii ejusmodi ausus medici ostendant cujus toni fuerit benè cœpta, sed malè finita curatio. Præterea an Polypodium vim peculiarem purgandi atq; extenuandi corpora possideat, affirmare non valemus, id autem contra *Dioscoridum* negat *Jo. Munardes in Epist. med: p. m. 541.*

Existunt quoqve nonnulli medici qui vomitoria in obesitatis curatione locum invenire existimant; verùm cum eadem non magnum usum conferre videantur, operosè illa laudare vel purgantibus aliisve evacuantibus medicamentis præferre neutiqvam audemus: Interim cui placet autorum qvorundam sententias de istorum usu investigare, adeat *Mercurialem l a. p. 35.* Præterea *Hippocr: 4. Aph: 7.* docet carnosis non ita conferre vomitoria; cum quo etiam consentit *Bernh. Swalvius in querel: ventric; p. 193.*

Si cuipiam arrident clysteres etiam svadere ac præscribere obesis, ex paulò post recensendis & specificè magis ab autoribus commendatis, aut tandem ex incidentibus aliis variis & laxantibus atqve purgantibus iidem facilè eligi possunt. Annectimus autem usui enematum monitum *Ludov: Septalii in Animadvers: l. 3. §. 23.* qui non multum calentes clysteres vult injici, cùm habeant obesi intestina sensu maximè prædita, & aliàs subitò iterum expellantur sine utilitate.

Seqvuntur jam sudorifera, qvæ pariter non levi vi dissipandi pingvedinem prædita sunt; mediocria tamen nec nimis alkalia vel acria aut aromatica, sed potiùs neutra salia & acidiuscula in usum vocanda censerem. Attendendum

etiam eſt in modo eliciendi ſudorem, ne impetu magnô ille provocetur, cùm promptæ evacuationi huic obſtet pingvedo intercus. Inculcat hoc etiam *Vidus Vidius l. 11. de cur: gener:* quòd obeſi non temerè ob dictum obſtaculum ſudoriferis macerandi ſint. Decoctum ligni ſancti & ſaſſafras uſurpandum præſcripſit obeſis *Timæus l. 6. caſ: 1. p. 262.* Varias autem evacuationes pro diverſitate individui promovere medicamenta ex ligno Gvajaci parata, eaqve pingvefacere ſolùm per accidens docet *Caſp. Hoffmanus de Medic: offic: l. 2. c. 128. p. 301. &c.* Inter varia alia ad diætam exſiccantem pertinentia ſvadet etiam decoctum ligni per 30. & 40. dies uſurpatum *Joh: Tilemannus l. a. p. 25.* Majus commodum percipere eos, qvi ordinariô potu dilutiore decocti Gvajaci, cynæ & ſarſæparillæ utantur, indicat *Joh: Riolanus in arte benè medendi: pag. 112.* Qvatenus decoctum ejusmodi pingvefaciat, dictum fuit *p. 51.* in qvam rem etiam videatur *Sennert. Paralip. p. 166.* Aliàs non audemus vi attenuandi & imminuendi pingvedinem privare decoctum lignorum, veluti qvidem *Helmontius l. c. & tr: de Aſthmat: & tuſſi §. 44. &c.* illud intendit. *Zac: Luſit: in prax: admir: obſ:* 112. pro tollenda obeſitate proficuum & ſudoriferum declarat lignum ebeni. *D. Joh: Michaëlis* aliàs præſcribere conſvevit Eſſ: lignor: & ⊖ viper: Nobis non diſplicet etiam Tinct: ♄ii cum ♎ virid. ær. parata & cōmunicata à *Zwölffero in Append: ad animadv: p. 60. & in Mantiſ: Spagyr: p. 381. &c:* Eſſ: abſinthii etiā huic ſcopo congruit, & Elixir Propriet: cum ♎ ♆ vel ⊕ paratum. Accepi quoqve ab amico, ſe in Anglia audiviſſe à Medico quopiam pulverem ſeqventem crebrò uſurpatum contuliſſe Gallico cuipiam legato: Pulv: chinæ, cinamom: ebor: & margarit: quæ anaticâ portione miſceantur.

Specificè magis prodeſſe etiam ſcribunt autores ſeqventia, qvæ evacuando partim per ſudorem, partim etiam cum urina imminuendam pingvedinem nimiam apta creduntur. Laccam ab Arabibus adhiberi ſcribit *Fallopius l. a. c. 5. p. 332.* Conſtat id inter alios Arabes ex *Avicenna l. 4. Fen. 7. tr: 4. c. 6. p. m. 968. & 969.* qvi ſingularem virtutem extenuandi ſcribit ineſſe Laccæ

&

& sandarachæ. Similiter sandaracæ dictæ vel vernicis oleum ad guttas aliqvot cum oxymelite mistum & qvotidie à jejunis sumtum imminuere pingvedinem nimiam memorat *Conr: Khunrathus in medull: destillat: part. 1. p. 426.* Fatetur etiam *Joh: Langius l. 2. Epist. Med: 65. p. 360.* sibi oboeso & nimiâ pingvedinis sarcinâ gravato comendatum & datum fuisse à Medico exteris è regionibus adveniente gummi laccæ, Græcis Cunchamus dictum, triobolari pondere ex aceto mulso aliqvot diebus potum, qvòd ab onere illo pingvedinis sublevet & maciem conciliet, aliosq; plures usus aperiendi, partes minuendi, ut & humores educendi possideat. Laudat deniqve simili ratione usurpatam laccam etiam *Jul: Cæs: Claudinus in Empyr: ration: l. 4.*

Præter enumerata medicamenta placent etiam qvibusdam salivantia vel ptyelismum excitantia : sic illum mediantibus pilulis mercurialibus suscitatum aliqvoties aqvaliculum imminuisse vegetumqve corporis statum reparasse meminit *Excell: Ol. Borrich: in Act. Medic. ac Philos. Danic. Ann: 1671. & 1672. obs: 74. p. 144. &c:* si qvibus aliis mediis verò obesitas melius tolli potest, non enixè commendabo usum mercurialium pro ptyelismo promovendo, propter alia mala subinde ab iis metuenda. *Grembsius in arb: integr: & ruin: l. 2. c. 1. §. 9. n. 98. p. 157.* itidem dicit crescitivam vim per mercurium enecandam esse idqve docere *Helmontium.* Alioqvin constat ex relatione *Borelli cent: 2. obs. 11. p. 118. &c.* qvòd folia nicotianæ & lauri masticata vel lingvæ imposita aqvas educant, atqve benè aliqvando cesserint. Qvi verò desiderat salivam proritantia, ea in radicibus pyrethri, cubebis &c: facilè inveniet, si solùm ista in ore crebrò detineantur vel volvantur, ac dentibus leviter subinde frangantur.

In scopum illum communiter etiam obesi mares solent indulgere nicotianæ usui vel fumo fistularum fictilium ope usurpato ; qvem usum sibi salutarem prætendunt, quòd salivam, phlegma, vel pituitam educat, ostendentes interdum ac ostentantes ideò portionem illius, quantum cochlear unum vel alterum capit ejectam ; sed reticent quantâ copiâ se iterum adimpleant cerevisiæ, vel alius potûs usu sibi consvetô. Raró e-

nim capnophili & fumivendi illi medico usui peti sine immodicô usu vel vehiculo potus indulgent; & sic vacuum illud, quod intendunt illi, relinquetur nunqvam glandulis salivalibus, pulmonibus, cerebro aut aliis locis, quos deplere volunt iidem. Qvò generosior verò potus est, qui usui isti nicotianæ immiscetur, eò majora mala etiam metuenda sunt, & quidem macilentis imprimis. Recordor quinqve juvenum cælibum plerorumqve virorum studiis atqve mercaturæ addictorum in urbe qvapiam celebri Misniæ, qui in societate qvadam Hispanicum vinum, cum cerevisia subinde interposita, crebriùs bibebant, ubi se se nicotianæ fumô dictô effusè & certatim invitabant; sed tres brevi tempore, & febribus acutis inprimis, è vita tollebantur, atq; sicuti fumus istiusmodi evanescebant. Qvartus ex dicto numero non longè post illorum mortem in morbum vehementem & dolores arrithticos ingentes incidebat & post periculosum longumqve decubitum mortis fauces eluctabatur. Qvintus verò maritus ex consortio illo, qvantum mihi innotuit, nihil mali persentivit. Non ignoro etiam â magnæ autoritatis medicis fumum nicotianæ in asthmate humido magnopere commendari; verùm si aliis remediis tolli potest illud obesitatis freqvens symptoma (quemadmodum Medicinam aliis proficuis medicamentis minimè destitutam novimus) usum eundem suspendendum potius duco, detetritus meâ aliorumqve experientiâ, quâ innotuit mihi de duobus obesis, qui intra usum illius in apoplexiam brevem incidentes animam cum fumo isto exhalarunt. qvàm offensus fumus iste famosus ex fistulis ore haustus sit spiritibus ac vitæ, cum rationibus & exemplis id confirmantibus hauriet, qui vult, ex *Val: Andr: Mollenbroccii de arthrit: scorbut: c. 14. p. 264.* &c: Qvandoqvidem obesi etiam in apoplexiam, somnum, lethargum & similes affectus, facilè irruunt, iique memoriâ infirmâ vitaqve facillante vel dubiâ, nec adeò longævâ, (præ aliis minùs tales existentibus) prædititi sunt, tabaci fumus in illis facilè mala illa augere & mortem accelerare pollet. Qvi Medici itaqve fumum nicotianæ

in dictis morbis& peste impensè ac indifferenter commendant, sine dubio eidem adsveverunt, philtrôqve illius aut tabacomaniâ, ut ita loqvar, abrepti ac decepti eundem non vituperant. Sic observantur etiam qvipiam, qui vinô delectantes in omnibus morbis illud commendant aut admittunt; quid ergò mirum, qvòd fabri fabrilia tractent.

Inter ea, quæ hodie vitam abbreviant, numerat etiam Tabaci fumum frequentem *Helmontius tr: de mortis occasione p. m. 453.* & hujus sedulus imitator *Fran: Osw: Grembs: l. a. l. 3. c. 1. §. 31. &c.* De hinc *ad Barbettianam praxin Medic: c. 2. p. 9. & 20. Frid: Deckerus in notis* annotat se cum *Barbetto* bis vel ter annotasse homines inter nicotianæ usum apoplexiâ correptos, & è vita sublatos esse. Similiter quod nicotianæ usus nimius apoplexiæ initia inferat, colligimus ex *Helmontii tr: de Lithiasi §. 76.* Æqve autem, ac potus generosus, nicotianæ fumus spiritus turbulentos ac torpidos reddit & narcosin inducit; cùm itaqve & experientiâ & autoritate constet, ebrios qvandoqve in Apoplexiam mortemqve præcipitari, de quo *Petr: a Castro in imbreaur: p. 175. §. 6. Balth: Ronseus in Epist: Medic: 12. p. 36. Sebizius Exercit: pathol: tom. 1. p. 67.* & alii plures. Quid mirum si obesis, herbæ illi militari indulgentibus, simile quandoqve quid eveniat. Taceo quòd obesi ad venerem & generandi alacritatem inepti, ineptiores Nicotii herbæ usu reddantur. De quo, qui certior reddi cupit consulat *Miscell: Acad: Nat: Cur: l. a. Ann: 3. p. 69. & Herm: Grubium de Arcan: Med: non arcan: p. 247 &c.*

Porrò inter antipiotica referunt autores sequentia amaricantia & incidentia videlicet centaurium minus, absinthium, mentham & rutam, quæ ultima & quidem hortensis in decoctis vel electuariis usurpanda præstantissima declaratur à *Fallopio l. c.* Innuit etiam illic autor hic, quòd Galenus mentionem faciat rutæ Sylvestris; & quòd confectio anacardina hora matutina assumta in pauca qvantitate principatum inter alia medicamenta habeat. Encomia rutæ plura prostant etiam aliis in autoribus, veluti *D. Joh. Michaelis in colleg: M. S. ad Ideam*

 med.

med. Pract: *Jonston. p. 247.* laudat rutæ pulverem cum aliis pro trachea inter cibos ſubinde aſſumendum. Svadet ibidem etiam laudatus autor acetum rutaceum & ſcylliticum. Similiter ſemen rutæ uſui ſalubri interno deſtinatum ſcribit *Foreſtus l. 31. obſ. 10. p. 60.* idem autor ibidem ſuâ ſuiqve Præceptoris experientiâ probatum laudat ſeqventem pulverem inter cibos ſumendum: ℞ ♀vini ℥ij. Cinam: ʒiij. Zinzib: ʒj. ſacchari ℥iij. f. Pulv: Nondum omnia amara medicamenta enumeravimus, qvæ hactenus dictis annumerant autores, ſcilicet amygdala amara, nucleos perſicorum & alios ſimiles; ſic radix gentianæ, Zedoar: ariſtol. rot: &c: inter ea etiam referuntur Anacardini fructus qvoqve à nonnullis laudantur. *Arnold: Weikardus tr: pract: l. 4. c. 1. p. 61.* ad extenuandos obeſos utile pronuntiat eſſe decoctum julorum à corylo pendentium. *Prævotio l. a.* placet inter alia ſeqvens medicamentum: ſi ſeminis fraxini ʒj. ex jure cum ℥ß. aceti generoſi, vel aceti ſcillitici idqve ante cibum ſumatur; Idem autor oxymelitico ac ſcilliticis trochiſcis eandem vim tribuit. Pergit ille *l. c.* inquiens: valet quoqve ſem: Ameos, aut ſeminis exiſtentis in baccis ſambuci ʒß pota cum decoctione fraxini. Sic Medicus quispiam non vulgaris tanquam inſigne medicamentum effert pulverem ſeminis ebuli quavis aurorâ oriente aſſumptum, quantum cuſpis cultri capit. Doſis hæc autem augeri poſſet, ſi experientia arcanum vel medelam obeſitatis curandæ in eo medicamento depoſitam confirmaret.

Olaus Magnus in der Beſchreibung der Mitternächt: Länder *lib: 15. c. 18. f.* 433. hiſtoriam illam de obeſo Chiappino Vitello attenuato imprimis uſu aceti referens, ſimul memorat, quòd mulieres in regionibus illis deſcriptis pro imminuenda pingvedine uſurpent vinum medicatum mediante aniſô, cuminô & abſinthiô paratum. Sic *Conr: Khunrathus l. a. part. 1. p. 318.* dicit obeſos, ſi imminui velint ſuam molem, voti participes reddi, ſi manè jejuni quotidie uſurpent oleum cymini; ex nimio verò ejus uſu homines etiam palleſcere innuit idem autor. Ex hujusmodi ſeminibus, aromatibus,

amaricantib9 ac purgantib9 constat pulvis hypacticus ad obesitatem,& pulvis Comitis de Salburgo eundem in scopum commendatus & communicatus à *Georg: Hier: Velschio in Hecatostea 2. obs. 61. p. 34. &c.* Ibidem insignis hic quondam Medicus laudat etiam pulverem viperinum, qvod ab aliis quoqve autoribus fieri annotamus ; veluti *Joh: Prævotius l. a. p.* 731. pulveri suo viperino (*ibid. p.* 819. descripto) indicat præcipuam vim inesse pro exsiccando corpore, si ℨß. sumatur qvotidie ex jure aut vino 4. horis ante cibum , eoqve magis, si corpus strenuè exerceatur post pulveris sumptionem. Sic solent etiam prisci Medici salem viperarum sibi notum , & moderni volatilem pro atterenda pingvedine accumulata efficacem deprædicare. Admirandæ maximiq; æstimandæ ac deprædicandæ efficatiæ etiam esset lapis *Butleri*, si verum, quòd brevi tempore, & linctu saltem singulô mane admissus obesitatem minuerit, de quo apud *Helmontium in tr: Butler: p. m.* 360. Interim largiorem dosin & usum continuatum illius non disvadebimus, cùm illius ingredientia , quæ nobis innotuerunt, non omni vi destituta pro obesitate destruenda videantur. Viperæ aliàs faciei decorationi, lui venereæ , ulceri pulmonum, phthisi vitæ longæ ac tabi mederi, juxta *Cardanum* allegatos apud *Casp: Theoph: Bierlingiū in Adversar: Curios: cent: 1. obs: 4. p. 15. &c.* aliosq; plures creduntur. Non tamen facilè svadebo usum viperarū crudarum neq; tandem etiam coctarum vel in infusione usurpatarum ; licet etiam casu à vino, in quod viperæ illapsæ fuerunt, Elephantiasin curatam annotârit *Galenus de simpl: med: lib* 11. hoc verò allegat *Lignaridus in oblect: Acad: cap. 7. p. 66. &c.* Etiamsi animalia morsa à viperis & cocta non nocere, vel propter venenum suspecta esse dicit curiosus Dominus *Redi de viperis p. m.* 13. nolim tamen usui illi semper fidere ; præcipuè cùm hodie nō adeò defectu quàm abundantiâ aliorum medicamentorum laboremus, & ignoremus sæpe, quæ ex iis eligere velimus aut debeamus. Suspectus enim est viperinorum medicamentorum crudorum usus æqve fortè ac fungorum ancipitium (ita nervosè *à Juvenali l. 1. Satyr: 1. v.* 145. dictorum) qui licet

plu-

pluries minùs noceant; nusqvam tamen nocuiſſe illos, quis novit aut legit usquam. Annotat autem *Joh. Henr:* Brechtsfeld *in diſput: Med: de venenis Helmſtadii habita* §. 35 quòd pertinax hæmorrhagia à pulvere oſſium ſerpentis aſſumptô, puerum quempiā Helmſtadii invaſerit. Mirum non admodum tandem eſt illud, ſi etiā de hæmorrhoe ſtupenda illa vis ſangvinem ex omnibus corporis partibus excutiens vera eſt, nec caſu contigit utrumq;, de qvo poſtremo *Lucanus l. 9.* & alii autores plures. Vim aliam etiam non minùs horrendam (quæ peſtis, ſarcophagi ignisqve ſævitiam ſuperat, dum corpora in nihilum brevi convertere dicitur) annotat de Sepe ſerpente parvo, quem alibi etiam tabificum vocat *Lucan: l.c.* ſed de fungis & illa materia à laudato *Redi* attacta aliis in locis impoſterum fuſius agemus.

Dehinc *Mart: Zeilerus cent: 1. Epiſt: 91.* dicit in obeſitate aliàs commendari ſal ſaturni; indicat inſimul illic autor, qvòd Sanctius I. Rex Hiſpaniæ obeſus perierit miſerè Medicamentô datô ab Æthiopico Medico. Præter alia mineralia ex his ſeqventibus petita adhibentur freqventius ad curationem obeſitatis: ſcilicet ex ⦶, 🜖, 🜍, ϴ, ♄, ♂, ☿, & tandem ex ♀. Sic cremorem & cryſtallos ♀ proficuos obeſis dicit, Academiæ noſtræ qvondam lumen, videlicet *Gv. Rolfincius in diſput: de ♀ cap. 5.* Spiritus ex dictis rebus parati variis medicamentis atqve potui ordinario, & qvidem vel ſoli illi, vel admixti Tincturis, ſcilicet fl. violar: roſar: bellidis &c: immitti poſſunt. Sic etiam Clyſſus ♄ii & ⌒ 🜖. philoſ. non ſine ratione aut levamine admittentur pro uſu modò dicto. Similiter ⌒ 🜖. coagulat: ⦶ 🜖lat: Arcan: duplicat: &c. à quibusdam in uſum vocantur. Qvi ⌒bus iſtis ſimplicibus ritè præparatis præferunt correctos vel dulcificatos mediante ſpir. vin. factos in hoc & aliis affectibus curandis, forſitan novum quid magis venantur atqve venerantur, quàm praxi atqve rationi conſonum; namqve propter acidam qualitatem in uſum vocamus ſpiritus illos, ideoq; correctione dictâ illos potiùs caſtramus, concentratam virtutem diffundimus majoremqve doſin & ſumtus cauſamur; qvæ

dicta

dicta, & varia ipsis affixa & afficta mala antevertit simplicium illorum spirituum vehiculum, sufficiens & prudens usus. Concludimus ergò pro hac re cum canone illo : Propter quid aliquid est, propter illud magis tale est. Sed de acidis & acidulis brevi dabimus plura.

Porrò laudatus antea nostræ Academiæ Curiosæ Dom: Præses *Joh: Mich: Fehrius de absinth: p. 148.* loqvitur ita: in obesitate corporis nimia laudatur ⊖ absinthii Codronchio intra sumtum : nos ⊖ absinthii ⊕latum cum victu tenui & thermis commendamus, qvod in illustri persona expertum.

Deniq; inter composita laudatus *D.D. Joh: Michaëlis l.a.* svadet spec: diacum: & diacurcum : qvæ in *Zwelfferi Animadv: pharm: p. 178. annotata prostant.* Idem *D. Michaëlis l. c.* etiam innuit, qvòd medicus qvispiam non vulgaris tanqvam singulare specificum, reputaverit species Diaspoliticon *Galeni* apud *Zwelfferum l. a. p. 179.* descriptæ. Aliàs etiam peculiare electuarium Antipioticum majus & minus habet *Epiph: Ferdinandus in histor: 82. p: 274.*

Sicuti hactenus aliqvoties acetum pro vehiculo usurpari, vel artificiales acidulas laudari accepimus : ita acetum simplex, tum in diæta, tum inter medicamenta usurpatum, multorum elogiô pro obesitate imminuenda conducere audiemus in seqventibus.

Reminiscimur ex paulò ante adductis historiæ Chiapini Vitelli, qvam inter alios autores etiam ex *Famiano Strada* allegat, & aceti operandi modum exponit *Val: Henr: Voglerus in Diætet: Comment: p. 285. & 286. Gabr: Fallop: l. a. c. 5. p. 332.* aqvam cum aceto svadet, seqve ait vidisse usu illius aliquandiu continuatô vel oxycrati, aut aquæ chalibeatæ sanatos esse obesos. Suffragatur horum & aliorum autorum testimoniis similibus etiam *Rod. à Fonseca consl: med: tom: 1. consl.* 32. ubi aceto magnam extenuandi vim inesse scribit ; sed qvia illud solum nimis forte censet, aquam chalybeatam ei admiscendam, vel scylliticum acetum, aut oxymel etiam usurpandum esse indicat. Meminit quoqve historiæ Vitelli Marchionis, & effectûs

vini degenerantis, qvod ipsi illud salubre exstiterit *Isaac Cattierius l. a. obs. 13. p. 46.* & tamen autor hic interdicit usu aceti propter rationes quaspiam, sed non satis validas. Hunc verò usum alii plurimi autores, obesitatis curationem tradentes, congruum ducunt atqve dicunt. Qvanti fecerit aliàs Pythagoras acetum scylliticum, qvi etiam ad 117. annos ætatem suam perduxisse dicitur, annotat *Galenus l. 3. de med: facult: part: f.* 316. His ergò laudem suam antiquam neutiqvam detraho, cum alioqvin etiam in asthmate (cui communiter obesi obnoxii sunt) scyllitici aceti aut oxymelitis usui oppurtuno neminem ferè reclamare sciam; veluti præter hæc alia medicamenta etiam, quæ in asthmate humido & à materia serosa ac viscida oriundo conducunt, obesitati curandæ non obsunt. In præfatione nostræ dissertationis *à Prævotio* acetum scylliticum itidem commendari audivimus; quod etiam admittit *Fallopius l. d.* neutiquam verò oxymel sqvilliticum, ob mel, quod in superiori ore ventriculi hærere & noxium esse autumat.

Dehinc acidulas profuisse alicui obeso aliquot annos repetitas distinctis vel interruptis vicibus, indicat *Timæus l. 6. cas: 3. p. 263. &c.*

Communi ferè autorum consensu magna vis extenuandi corpora & maciem comparandi acidis inesse dicitur, uti mox patebit fusiùs: *Tackenius in Hippocr: Chym: p. 90,* statuit, quòd acidum superabundans in avium ventriculis turbet digestiones, ut ideò illæ atrophiam patiantur. Idem autor ibidem *p. 182.* indicat, quòd solô aqvæ fortis odore freqventi naribus exceptô atrophia cum acerbissimis doloribus cuipiam inducta sit; idem hoc ex eodem forsitan autore repetit *Dav.* von der Beck *in experim: natur: p. 41.* De simili aliisqve affectibus, quos collegit chymicus qvispiam circa aqvas regias diu commorans, agit *Helmont: de Lithias: c. 9. §. 71.*

Hactenus vidimus interna therapevtices media, qvibus externa quæpiam adhuc annectimus, quæ potissimum cuti aperiendæ, pingvedini dissipandæ ac pedetentim evocandæ inser-

viunt,

viunt. Calor autem qvovis modô, tum in diæta, tum in curatione conciliandus eſt corpori, cùm alioqvin tranſpiratio per cutim neceſſaria intercipiatur, nec medicamenta extrinſecùs, nec intrinſecùs adhibita finem ſuum commodè conſeqvi poſſint. Varii modi calefaciendi corpus, vel poros cutis aperiendi, procuranda levcophlegmatia proponuntur in *Fernelii Patholog: l.6.c.8.p.* 152. Indicatur autem ibi inter alia, qvòd ejusmodi ægrotus in clibanum extractô pane tepentem retrorſum immitti debeat, conſervatâ capiti integrâ reſpiratione: verùm quis facilè ex ſe placentam piſtorio in furno coqvendam faciet: hujus loco itaqve vaporaria, ſtuphæ, aut ſudoria & ſimilia adminicula arripi poſſunt, de qvibus mox plura innoteſcent. *Avicenna* etiam & alii autores pro exſiccandis corporibus ac eorundem humore abundante imminuendo extrinſecus arenæ à ſole calentis, vel ſolis ipſius calorem corpori conciliandum aliqvoties commendant.

Præterea quod balnea calida craſſis ac pingvibus corporibus conferant, quia calefaciunt, evacuant & cutim laxant, docet *Sam: Haffenrefferus in officina Iatrica p.* 202. & 203. In loco ultimo indicat etiam autor, qvod ii longiorem moram ferant in balneis, quàm macilenti & debiles. Balnea pluries quoqve laudat *Galenus*, veluti annotat ex eodem *Cachetus l. a. p.* 269. Alios plures, qui pariter vim illam non derogant balneis, ſiccô pede iam præterimus. Valent quoqve pariter thermæ diluere ac diminuere obeſitatem, veluti de exemplis usûs harum opportuni, uti etiam de modo ac ratione utendi illis, ſcriptores de iisdem peculiariter agentes evolvi poſſunt. Sic Medici, qui ſingulis annis ad thermas accedens, propter deponendam pingvedinem, feliciſſimos ſucceſſus perſentivit, mentionem facit *Mercurial: l. a. p.* 35. Svaſit etiam thermas cuipiam *Platerus l. 3. obſ.* 548. Qvòd verò diutius obeſi thermis inſidere debeant quàm macilenti, inculcant nonnulli autores deſcribentes thermas; de quo etiam in *Gobelii Hydriatria Wiſenſi ab Excell: Chriſt: Garmanno denuò edita p.* 177. mentio fit. Thermas ſuas arte confectas quoqve ſvadet *Molitor de therm:* *artific.*

artific: p. 44. Sed autor hic eas ſimul juxta peculiarem aſtrorum poſitum vult componi; vereor tamen, ne Lector curioſus in hoc & aliis illius tractatûs contentis reperiat, quæ applauſum non merentur. Thermæ artificiales verò cautos ac prudentes reqvirunt, cum alioqvin infelix finis vel exitus harum Medico exoſum ſoſtrum ſubinde parare experiamur. Thermales aqvas hauſtu, vel pro interno uſu admiſſas etiam convenire perhibet *Joh. Jeſſenius in Inſtit: chirurg: ſect: 3. c. 22. p. 94.* Alii etiam pro externo uſu vel balneo admittunt acidulas naturales, de quo *Maccaſius, & Rod. à Caſtro de morb: mulier: part: 2. l. 3. c. 3. p. 234.* qui thermas pariter pro modô dicto non ſvadet. Plura alia teſtimonia autorum de acidulis & thermis variô modô uſurpatis pro obeſitate imminuenda commendatis continentur in *Joh: Bauhini de aqvis medic: l. 3. c. 2. p. 180.* Acidulis externo uſui deſtinatis ſimile quid videtur meditari ſuô decoctô cupreſſi, edoctô, *Mynſichtus in armament: medic: chym: ſect: 25. p. m. 356.* Qui autor *ibidem ſect: 30. p. 376.* peſſum etiam præſcribit pro ſterilibus mulieribus ob pingvedinem exiſtentibus. Sed thermæ obeſitatis curationi acidulis aptiores mihi videntur exterius admiſſæ.

Seqvitur demum jam in noſtrâ diſſertatione diætæ regimen, cui obeſi æqvè parere tenentur, ac alii ægroti; cum alioqvin hujus neglectus deſtruat iterum qvod curatio prudenter ac benè inſtituta ædificare ſatagit. Prodeſt etiam magis diæta ritè obſervata ſine medicamentorum uſu, qvàm cum his optimis diſſoluta diæta conjuncta.

Qvod verò concernit aëris vel loci conditionem, qvæ obeſis curandis conducit, calida ipſius conſtitutio attendenda eſt; veluti hujus effectum, & frigoris adminiculum obeſitati inſervire in præcedentibus annotavimus. Aëris itaq; ac loci ſalubris ac peculiaris conſtitutio ſi nimium confert (ſicuti ejusmodi loca indicavimus in præcedentibus) eadem cum aliis locis permutanda, aut adminicula potiſſima illic obvia notanda ac fugienda ſunt; veluti de cereviſiæ cujuspiam poteſtate tali præditæ diximus antea & poſt hæc adhuc dicemus. Sic Plato obæſus & craſſus exiſtens dicitur elegiſſe Academiam,

locum

locum Athenarum insaluberrimum ubi habitaret, ut scilicet comprimeret nimiam pingvedinem & liberiorem intellectum possideret, qvemadmodum scribunt allegati apud *Mercurial: l. a. p. 20.*

Qvoad cibum & potum, tantum illis detrahendum, qvantum possibile est ; inprimis verò cibi, qvi largiter nutriunt fugiendi sunt ; qvorum characterem vel notas superius inter causas recensuimus. Volunt autem qvod subtractis bonæ vel largæ nutritionis adminiculis pingvedo cedat in nutritionem corporis de qvo & imminutione dicta singulariter commendata agit *Dom: Panarol: in obs: pentecost: 4. obs. 18. p. 122.* Verba ideo huc trahimus etiam illa *Fuchsii l. 2. instit: sect: 5. c. 37.* Tempestiva, inqvit, abstinentia sanat plenitudinem, nimium obesos, pituitosos, vitiaqve ex pituita nata : apoplexiam, epilepsiam, comata, vertigines, cruditates & id genus alia multa. Verùm nimiam inediã & qvidẽ subitò institutam vix omnes ferent; hinc ea potiùs, quæ non adeò nutriunt, & qvæ evacuationes simul procurant, porrigenda sunt obesis. Non admodùm arridet etiam inedia *Cacheto l. c. p. 276. & 282.* Unde consultiùs censet, si evacuationes illius loco instituantur. Non tamen debet unica cœna adeò larga esse, ut restituat, qvod medicamenta spatiô aliqvot dierum destruxerunt ; fames etiam integra non est explenda. Atqve hic inprimis locum habet *2. Aph: 4.* qvod neqve satietas, neqve fames, neqve aliud qvicqvam, qvod naturæ modum excedit, bonum sit. Juxta *1. Aph: 3.* refectiones extremæ etiam periculosæ dicuntur; qvod in obesitate pariter observandum est. *Mart: Zeilerus cent: 1. Epist: 91.* recenset sibi relatum à Medico Matthia Anomæo, qvòd hic multos obesos curaverit vinis medicatis, detractis cibis delicatis & carnis usu ; concessit autem lactucam, olera, pisces, cancros, asellos pisces & similes cibos parum nutrimenti suppeditantes. Injungitur insimul illic sitis & temperantia vel inedia. Cibi pauci, nec boni captivorum carcere detentorum popam admodum etiam demunt vel deterunt, cui accedit si mœror, timor atqve curæ suum symbolum conferant pro detrahen-

 da

da pingvedine. Sic recordor redituum ducalium præfecti, qui mole corporis ac mente tumidus non nisi essedô à bijugibus vectus solebat in alias urbes propinquas se conferre; posteaquam verò dehinc dispensatio vel officium ablatum ab eodem esset, eumqve solicitudo afficeret, & lautus cibus ac potus deficeret, confecerunt etiam hæc ipsius popam ac pompam, ut cum baculo comite in urbes aliaqve loca alacriter iter pedes facere posset.

Dantur autores, qui carnem perdicum & leporum propterea obesis permittunt, quòd non pigvescant illa animalia atqve nutritioni minùs conferant; Imò capreoli carnem nonnulli laudant, tanquam idoneam pro imminuenda obesitate; verùm vix aliquid decedere obesitati opinamur à dictis speciebus carnis. Alii carnis usum omnem proscribunt, cui & nos subscribimus. Salitam & fumo induratam autem carnem aut pisces, citiùs quoqve admittendos esse censemus.

Præterea cibi, nostris Germanicis aromatibus aut usitatis reb9 esculentis conditi, & medicata esculenta in usum crebrius admitti possunt, qui incidunt, alvum laxant, nec non diuresin & diaphoresin promovent. Acetum autem inter medicamenta, cibum ac potum misceri docent ac svadent multi autores, quod iterum & nos hoc loco inculcamus. Excellunt autem porrò inter cibos huc congruos, fructus acidi, scilicet cerasa, baccæ cynosbati, mespili, pruna varia acidiusculô sapore prædita, acaciæ fructus, ribes, berberes, granata mala, limonia, citria, poma austera & acida: porrò cappares, olivæ, & similia, qvæ muriâ vel aceto condita mensæ inservire solent; ulteriùs acetaria vel insalata varii generis, scilicet endiviæ, lactucæ, nasturtii, rapunculi; embammata parata ex cochlearia, nasturtio, raphano, sinapi &c. Præter hæc aliorum atq; nostrô judiciô locum inveniunt inter cibos ejusmodi: Brassica, Spinachia, Petroselinum, apium, cherefolium, & raphanus rusticanus, qvem aliis raphani speciebus præfert *Franc: Sylvius in Prax: l. 1. c. 38 p. 278.* Non intempestivè forsitan hoc loco recordamur illius curationis *Heurnii*, qui in diuturna cacochymia cum

ob-

obstructione meseraicarum maximô cum successu usurpatum esse dicit seqvens : succi radicis raphani, armoracii, succi cochleariæ, beccabungæ, nasturtii aqvatici, numulariæ ana, quibus mixtis bis in die uti jussit, uti patet ex *Fernelii Pathol: l. 6. c. 8. p. m.* 150. Dehinc loco condimenti cibis etiam addi possunt anethum, rosmarinus, folia lauri, salvia, thymus, semen carvi, baccæ juniperi, allium, cepæ &c. Et hujusmodi dicta (sicuti & scylla aliàs) in asthmate obesis sæpe molesto, commendantur.

Diuresi promovendæ etiam qvæpiam ex dictis conducere creduntur. *Fernelius l. a. c.* 13 *p. m.* 187. annotavit diabeten induxisse in adolescente cæpas largiter & sæpe assumtas. Salis vel trachearum quarundam usum, inter cibos vel post eos assumtorũ, etiam quidam admittendũ esse docent, quorum & nos in præcedentibus mentionem quadantenus fecimus. *Falloptus l. a. c.* 5. *p* 332. indicat panem ex sorgo pro cibo admissum spatiô quindecim dierum extenuare corpora. Multi etiam svadent ex hordeo confectum panem, quòd non augeat pingvedinem; sed si licet à pecorum saginatione subsumere, hordeum nutriendi ac pingvefaciendi facultate non destituitur. *Cattierius l. a. obs.* 11. *p.* 44. observavit quòd fœmina nobilis, manè sumto pane madefacto communi aqvâ, reddita fuerit obesa ; sic etiam cerevisiæ immissum panem & crebrò comestum saginæ prospicere dicunt ; quem usum obesi declinare tandem possunt. *Idem Cattierius obs:* 13. *p.* 46. meminit quempiam obesum vel crassissimum, detractâ panis portione (qvem quotidie antea comederit) ejusqve loco postea majori qvantitate carnis substitutâ vel admissâ pro cibo, graciliorem factum esse. Hoc si non casu factum aut morbida corporis constitutio intercessit, potius monstris in Medicina subinde obviis, quàm regulis frequentibus annumerandum esse videtur.

De potu verba qvædam adhuc facienda hîc nobis sunt: de Chiappino Vitello ex *Famiani Stradæ hist: Belgic: dec: 1. lib: 8. ad ann: 1576.* & ex testimoniis aliorum ex *eodem Strada* repetitis constat, qvòd loco vini in ordinarium potum non frustra ille

ace-

acetum admiſerit. Anne&timꝰ huic encomio aceti etiam locum *Bartholini Epiſt: Cent: 2. Epiſt: 82. p. 666.* Ætiologiam verò illius operationis reddit hanc autor, qvod ſcilicet acetum vaſa parteſq; conſtringat, ne alimenti copia aut flatus ideò coacerventur. Nos putamus freqventem illius uſum incidendi vel rodendi facultate inprimis agere, qvâ ratione non ſolùm cibis aſſumptis facultatem nutriendi, ſed & pingvedini perſiſtendi licentiam denegat, & utramqve materiam ad evacuationes diſponit. Potûs autem, qvi potenter nutrit, in præcedentibus facta eſt mentio, ideoqve ille fugiendus eſt, & cereviſia lupulô condita, nec non ea inprimis eligenda eſt, qvæ alvum, & urinæ ſecernendæ dicata organa, ſui officii monet. Decoctum ligni ſancti loco ordinarii potus commendari audivimus in præcedentibus, veluti etiam non diſſvademus ſerum lactis caprilli ſalſum. Tincturæ vel ſpiritus acidi, paulò ſuperius memorati, ordinario potui etiam admiſceri poſſunt; vel parandæ ſunt cereviſiæ medicatæ, vinumve ejusmodi: ſic abſinthiô, centauriô minori, flor: ſambuci, zedoaria, acorô &c. dicti potus medicati reddi poſſunt. Imò veluti rationi conſonum, & colligitur ex allegatis apud *Georg: Pictor: in phyſicar: qvæſt: cent: 2. qvæſt: 50. & 52.* merum vetulum potens & ſubtile extenuat & macrum reddit corpus. Dubium etiam non eſt, quin vinum chylum ac ſangvinem fluidum reddat, & hæmorrhagias, diureſin, ac diaphoreſin promoveat.

Porrò qvantum poſſibile, ſomno detrahendum, ac vigiliis & actionibus corporis atqve animi indulgendum eſt: imperant etiam nonnulli, ut obeſi durum ſolum loco ſtraguli ac plumarum eligant; vereor autem ne hic pœnitentiæ aut torturæ modus non omnibus arrideat, aut multum illos ſublevet auxiliô; inſimul etiam difficulter, ſine lecto aut ſtragulis ſuperioribus, ſudor ac tranſpiratio promoveri poteſt.

Dehinc motus corporis apprimè promovet deſtructionem pingvedinis, utpote qvi omnes evacuationes corporis adjuvat; cum motu autem conjunctus etiã ſit labor, qvi liqvidò congruus eſt liqvefaciendæ pingvedini. De laboris utilitate loqui-

loqvitur fere *2. Aph: 16.* qvia obesi itaqve non fame vel hujus effectu, scilicet macie laborant, labor ipsis oppidò congruit. Sic de qvopiam obeso, cui profuit motus corporis, arte pugilatoriâ, saltatoriâ, pilæ exercitiô, aut deambulatione concitatus, innotescit ex *Martt Zeileri cent: l. Epist: 91.* Autores varios motus corporis, svadent obesis; modos qvosdam illorum examinat suamqve sententiam detegit *Fallopius l. a. c. 5. p. 33.* Cursum autem vehementem cum *Galeno* (quod etiam *Hippocrates* in locis quibusdam facit) svadet dictus autor; verùm difficulter sufferunt hunc obesi, nec diu continuare valent: pedestre autem iter moderatum & crebrò continuatum inter alia iis maximè proficuum censerem, sed cibis insimul ac potui non indulgere iidem iterum debent. *Petr: Forestus l. 31. obs. 10. p. 60.* mentionem facit obesæ mulieris, qvæ vix incedere potuit, & cui svaserunt Medici, ut iter unius miliaris subinde jejuna pedestri itinere absolveret; cùm verò illa præ asthmate id præstare atq; iter continuare non potuerit, ipsi freqventem purgationem magis profuisse scribit autor citatus. *Mercurialis l. c. p. 33.* loqvens de usu motus paulò vehementioris etiam hæc depromit: inter alia, inqvit, exercitationes, ut nos qvandoqve in Gymnastica demonstravimus, volutatio facta humi, & super arenam valde imminuit adipem & carnes. Liberum relinqvo cuiqve tentare hanc volutationem; dixerim tamen ferè ad imitationem (cum idem autor ibidem panem furfuraceum obesis à qvibusdam commendatum appellet cibum caninum) quod ista suibus vel asinis magis congrua sit: mirum ferme est, quòd non planè cylindros vel alias machinas deprimentes ac obesa corpora plana reddentes qvidam effingant ac svadeant. Motus utilitati commendatæ demum annectimus etiam hoc, quòd forsitan propter fugam ac timorem non ita pingvescant feræ, uti quidem cicura vel domestica animalia. Volunt autem lepores imprimis ac perdices neutiquam pingvescere, qvas bestias aliàs in timorem & inqvietudinem pronas esse constat. Observatum tamen esse dicunt autores qvidam, qvod lepus surdus, vel si obturatæ sint

M ipsius

ipſius aures, aut ex leporario exemptus, caveæ vel loco alii anguſto includatur, qvadantenus pingveſcat, & hæc cauſa pingvedinis forſitan ex prioribus impedimentis ſublatis unà dependet, de qvibus vide nonnulla in *Wolffg. Waldungi Lagographia c. 17. p. 35.*

Qvod concernit poſt hæc affectus animi, ſvadent eoſdem ſiniſtros nonnulli; verùm facere iidem videntur mala, ut inde eveniant bona, qvod tamen laudem raro meretur. Non audeo etiam obeſis ſvadere ridicula iſta, ut imitentur Arabes, qvos ſeqventia injungere vel imperare pro craſſorum curatione ſcribit *Fallopius l. a. c. 5. p. 331.* velle autem iſtos ut ſemper maledicamus obeſis, nuntia mortuorum amicorum atque parentum offerantur, objurgentur, culpentur & injuriis onerentur; ſubnectit iis dictis *Fallopius* ſe vidiſſe homines continuò livore vexatos & perturbatos, qvi tamen inpingvati obeſi negotiarentur. Deinde ſi tenerior eſt craſſorum hominum animus (veluti de Bartolo, Platone, illo à Platero annotato viro ingenioſo, aliisqve pluribus illorum ſubtilis etiam mens præſumenda eſt) dubii eventus videntur ejuſmodi affectus; ſuſpicor etiam qvospiam idem illud experturos, qvod eqvo iſti evenit, qvi ſcilicet fami adſveſcere debuit, ſed vivere deſiit, ubi artem illam ferè comprehendiſſe putatus eſt. Curas verò & majorem induſtriam collocare poſſunt obeſi in ſuis negotiis ac officiis, cùm antea dixerimus, curis vacua corpora citiùs obeſitati obnoxia eſſe. Propter effectum ejusmodi etiam qvidam curam qvaſi cor edentem aut urenten dictam putant; de qvibus iterum evolvendum citamus *Wernerum in corpuſc: phil: p. 218. & 221.* Amori & mœrori idem effectus; ac curis tribuitur *l. a. p. 220.* Inter alia impedimenta, cur homo non uti beſtiæ pingveſcere poſſit, curas etiam & affectiones animi (utpote qvibus bruta deſtituta ſint) recenſet *Joh: Matthæi in centur: diff: Medic: qvæſt: 7. p. 26.* ſimiliter quod curæ, iracundia, veneris uſus, mœror, triſtitia & ſimiles animi affectus attenuent, tabificent & cutim rugoſam ac panneſcentem efficiant, variis autorum locis confirmat *Thom: Reineſius in Epiſt: 42. ad Hoffman: p. 371. &c.*

Attin-

Attingendus nobis etiam eſt amor ac veneris exercitium, qvod nullis aliis in affectibus adeò ferè admittunt vel commendant autores, qvàm in obeſitate. *Fallopius l. c. p.* 332. ſcribit, veneris rationem eſſe habendam, nullum enim eſſe habitum, in quo tantum venus poſſit, quantũ in obeſis. *Joh: Matthæi l. c.* cauſam hanc inter alias plures conjicit in immoderatam venerẽ & venereas cogitationes, quòd homo non, veluti beſtiæ pingveſcere poſſit; animantia etiam omnia ferè naturæ ductu certum ac definitum habere coëundi tempus, homines minùs; atqve ob denegatũ uſum veneris caſtrata animalia maximè pingveſcere ſtatuit autor dictus. De aliis autoribus vel rationibus venerem ſvadentibus in noſtro affectu, verba etiam facit deniqve adhuc citandus *Mercurialis l. a.* Attendant verò ii obeſi, quibus jura divina atqve humana permittunt veneris exercitium, utrum ſibi ſua corporis conſtitutio reliqva etiam interdicat de eodem; metus autem eſt, ne à nimis arduô exercitiô illô vena rumpatur, veluti calamitatem hanc obeſis citiùs familiarem audivimus inter mala vel ſymptomata obeſorum. Eò citiùs etiam ille vir aſthmaticus debitum conjugale, contra monitum medici, ſolvens naturæ debitum ſimul ideò ſolvit, ſi obeſus exſtitit (cum obeſos plurimos aſthmate affectos deprehendamus) de cujus morte, ſi placet, evolvatur *Platerus cent.* 1. *obſ. p. m.* 171.

Dehinc excretiones corporis variæ qvovis modô conſervandæ ac promovendæ ſunt; veluti pluribus in locis id monet, hujuſqve adminicula docet noſtra diſſertatio. Si majori prolixitati vellemus indulgere, ſymptomata qvædam obeſitatis etiam trutinare atqve curationem peculiarem ipſis adjungere valeremus; verùm niſi fons exuberantis pingvedinis exhauriatur, parum proficiemus in ſymptomatum imminuendorum ferocia. Si vires verò conjunctas reqvirat in curatione obeſitatis ſymptomatum concurſus, horum medela ex aliis, ac ſuis diſtinctis praxeos locis peti poteſt.

Tandem ad ſacro ſanctam Trinitatem, in cujus nomine initium fecimus, revertimur, eiqve devotas exſolvimus grates, qvia jam noſtris meditationibus dedit his qvoqve

F I N E M.

Felix, qvi potuit fontes pingvedinis ipsos
exhaurire sui viribus ingenii.
Tu nisus doctos cathedrâ cum laude videndos
dum sistis, plausus votaqve læta damus.

Gratul. scribeb.

Georg. VVolffg. VVedelius D.

HAud crassâ Musâ rimaris corpora crassa,
Hinc te laus meritò & præmia opima manent.
Doctrinæ Medicæ mentem saturare saginâ
Si pergis, paries sostra decusqve tibi:
Siqve duos graviter post hæc sic transigis annos,
Omine vix dubiô purpura parta tibi!

Hisce Doctissimo Domino Respondenti, amico suo dilectissimo gratulari, faustosq; studiorum progressus ac successus laborum & honorum apprecari atq; ominari voluit

PRÆSES.

P*Ingve* solum sanè PINGVEDO hæc indicat. Insta
Id colere: & *pingvis* fructus abinde fluet.

Boni ominis & faustæ gratulat: ergò scribebam Nob. & præstantiss. DN. LEISNERO, *Auditori suo gnavissimo, cathedram Medicam primùm conscendenti, doctissimaq; de* PINGVEDINE *seu* Obesitate *theses masculè defendenti,*

Caspar Posner, natural. Prof. Publ.

Errata. p.3.l.23. deleatur: in. *p. 4. lin.4. pro* ה *ponatur* ח. *p.6 l.18. leg.* Crates. *p.7.l.16.* huberi ponant. *p.8.l.20.* reputetur. *p.9.l.26.* subseqventia. *p.11.l.14.* imitentur. *p.15.l.9.* crescere. *p.21.l.21.* hepatis. *p.29.l.23.* absolvantur. *l.28.* Hecatost: *p.34.l.30. post organa: l.* materia pingvis. *p.40 l.16. post sufficienter l.* qvod dixerunt. *p 42.l.21. deleantur*; sententiæ huic *p.42.l.7.leg.* culpabilem. *p.45.l.6. pro multiplici l.* multis. *p.52.l.25.* nicotianæ *p. 53.l.34.* cathartica. *p. 62.l.3.* color. *p.64.l.13.* theatra. *l.29.* indiguisse. *p.66 l.24.* reperiuntur. *p. 71.l.16.* curandæ. *p.73.l.14.* Dioscoridem Manardes.